



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XII. Vtrùm Christus satisfecerit ex iustitia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO XII.

Vtrum Christus satisfecerit ex iustitia?

- SECTIO I. *Quid sit iustitia?*
 SECTIO II. *Quid sit ius?*
 SECTIO III. *Explicatum ius & dominium.*
 SECTIO IV. *Vtrum ius sit potestas absoluta, an
 verò conditionata?*
 SVBSECTIO I. *Quotuplex est potestas?*
 SVBSECTIO II. *Prima opinio.*
 SVBSECTIO III. *Impugnantur argumenta.*
 SVBSECTIO IV. *Dominium est potestas absoluta.*
 SECTIO V. *Vtrum duo possint simul habere do-
 minium eiusdem rei?*
 SVBSECTIO I. *Partis affirmantis prima conclusio
 inter creaturas.*
 SVBSECTIO II. *Argumenta diluta.*
 SVBSECTIO III. *Quaedam difficultas.*
 SVBSECTIO IV. *Secunda conclusio in Deo.*
 SVBSECTIO V. *Aliud argumentum.*
 SECTIO VI. *Ad qua porrigatur ius?*
 SECTIO VII. *De iniustitia in Deum.*
 SVBSECTIO I. *Sententia & ratio P. Vasquez.*
 SVBSECTIO II. *Qua ratione fit Deus iniustus?*
 SVBSECTIO III. *Vtrum teneamur Deo satisfacere
 pro iniuria?*
 SVBSECTIO IV. *Conclusio.*
 SECTIO VIII. *Vtrum omne peccatum sit iniustitia
 in Deum?*
 SVBSECTIO I. *Per accidens potest peccatum non esse
 iniustitia in Deum.*
 SVBSECTIO II. *Aliqua peccata non sunt per se ini-
 iustitia in Deum.*
 SECTIO IX. *Vtrum Deus acquirat in nos nouum
 ius ratione peccati?*
 SECTIO X. *Vtrum ex iustitia teneamur satis-
 facere Deo?*
 SECTIO XI. *Vtrum haec iustitia sit distincta à re-
 ligione & penitentia?*
 SVBSECTIO I. *Nonnulla praeimitto.*
 SVBSECTIO II. *Quid de quaestione?*
 SVBSECTIO III. *Obiecta nonnulla.*
 SECTIO XII. *Vtrum Christus satisfecerit ex iusti-
 tia pro peccatis nostris?*

- SVBSECTIO I. *In Christo est virtus ad satisfacien-
 dum ad aequalitatem ex iustitia.*
 SVBSECTIO II. *Difficultas de eodem supposito, cui
 & à quo est satisfactio.*
 SVBSECTIO III. *Ratio de operibus ex alio capite de-
 bitis.*
 SVBSECTIO IV. *De operibus qua sunt in dominio
 creditoris.*
 SVBSECTIO V. *Explicatur ea doctrina.*
 SVBSECTIO VI. *Obiecta diluuntur.*
 SVBSECTIO VII. *Examinantur alia dua conditiones.*
 SECTIO XIII. *Vtrum Deo repugnet iustitia ratio-
 ne abdicationis dominij?*
 SVBSECTIO I. *Vtrum qui ex iustitia remittit, te-
 neatur absque peccato accipere satisfactionem?*
 SVBSECTIO II. *Deus potuit non acceptare satisfac-
 tionem Christi.*
 SVBSECTIO III. *Quaestio dirempta.*
 SVBSECTIO IV. *Ad argumentum.*
 SECTIO XIV. *De iustitia distributiva.*
 SVBSECTIO I. *Quid sit iustitia distributiva?*
 SVBSECTIO II. *Iustitia distributiva est ad vnum,
 item & ad plures.*
 SVBSECTIO III. *Documenta moralia ex ea doctrina.*
 SVBSECTIO IV. *Discrimen iustitia distributiva à
 commutativa.*
 SECTIO XVI. *Vtrum in Deo sit iustitia distribu-
 tiua?*
 SVBSECTIO I. *Argumenta Patris Vasquez.*
 SVBSECTIO II. *Argumenta de abdicatione dominij.*
 SVBSECTIO III. *In Deo est iustitia distributiva.*
 SECTIO XVII. *Vtrum in Deo sit iustitia commu-
 tatiua?*
 SVBSECTIO I. *Prima probatio iustitia commutati-
 ua Dei.*
 SVBSECTIO II. *Probatio secunda iustitia commu-
 tatiua Dei.*
 SVBSECTIO III. *De abdicatione dominij.*
 SECTIO XVIII. *Quam iustitiam Deus seruauerit
 cum Filio?*

§. 1.



Æc difficultas pendet ex disputat. de iustitia inter Deum & homines, cui sedes est in 1. p. q. 21. At si eam hinc præteream, censerebunt legentes, ieiunam esse hanc disputationem, propter communem consuetudinem difficultatem hanc hic refecantium ad viuum. Inter PP. Franciscum Suarez & Gabr. Vasquez hæc controuersia lucem accepit: quam nostri Doctores illustrarunt, quæque longas radices egit, quas fibratim oportet euellere. Constituta igitur æqualitate & excessu in æstimatione morali inter satisfactionem Christi & nostra peccata, oportet examinare vtrum illa æqualitas & excessus possint extinguere debitum ex rigore, vt aiunt, iustitiæ, quem admodum homo ex iustitia compenfat iniuriam illatam homini, & restituit ablatam pecuniam.

SECTIO I.

Quid sit iustitia.

§. 2. **I**ustum & æquale iam dixi disp. 11. §. 1. esse idem: vnde idem significabit iustitia quod æqualitas. Item dixi æqualitatem iam accipi latius.

Iustitia igitur accipitur variè, vt ex Aristot. & S. Thoma ostendit rectè P. Molin. tom. 1. de Iustitia & iure disp. 1. Primùm, pro gratia sanctificante, hinc dicitur iustitia originalis: item cadere à iustitia: iustus, & iustificatio.

§. 3. Secundò, pro omni actu virtutis, quia est iuxta rectam rationem: quia igitur ille actus est æqua-

æqualis debito virtutis, ea ratione est iustus. Quod ex S. Chrystostomo hom. 15. in Matth. & S. Anselm. dialog. de Veritate cap. 13. rectè probatur: quod prius docuerat Tullius. melius autem dixit Christus à se implendam omnem iustitiam, id est exercendam virtutem omnem.

§. 4. Tertio, pro omni actu honesto cedente in bonum commune reipubl. cuius aliquis est pars: actus honestus ortus ex prudentia monastica, est iustitia latior; ortus autem ex prudentia politica, est iustitia minus lata.

§. 5. Quarto, accipitur propriè pro actu honesto, cuius obiectum est iustum, siue debitum: est enim constans voluntas ius vnicique tribuens, id est vnicique tribuens quod suum est, siue quod illi debetur, cuius species communiter censentur iustitia commutativa, distributiva & vindicativa.

§. 6. Ad has proximè accedunt aliæ virtutes: quas S. Thom. & alij appellant species iustitiæ potestatiuæ: quia deficiunt à ratione iustitiæ propriæ, sunt tamen illi similes: vt gratia, siue remuneratio, religio, vrbánitas. & differunt hæc iustitiæ potestatiuæ species, à iustitiâ propriâ: quod hæc non habent obligationem iustitiæ per restitutionem aut satisfactionem, secus autem iustitiâ propriâ. Non disputo nunc vtrum religio sit iustitiâ propria nostri ad Deum: agitur enim nunc exempli gratia, & ex sententia magis communi.

SECTIO II.

Quid sit ius?

§. 7. **I**us erit idem quod æqualitas, quia iustum & æquale idem sunt: dicitur autem ius totidem rationibus, quot iustitia, quia à iure iustitia, vel à iustitiâ ius. Ius ergo significat primùm æquitatem, siue rationem, siue rectum dictamen: cui responderet iustitia explicata §. 3. Hinc dicimur facere aliquid iure, aut iniuria: id est probè, aut prauè, contra vel iuxta dictamen rectæ rationis.

§. 8. Secundò, accipitur ius pro titulo ad gloriam vel quoduis aliud. Quod à peritis Iuris dicitur actio aduersus aliquem, à Theologis autem gratia sanctificans dicitur ius ad gloriam: responderetque iustitiæ explicatæ §. 2.

§. 9. Tertio, accipitur pro actione & titulo reipubl. aduersus ciuem, quo tenetur ciuis operari ex dictamine politico: responderetque iustitiæ explicatæ §. 4.

§. 10. Quarto, pro titulo quem habet iudex in sceleratos puniendos: quod ius considerat iustitia vindicativa, iterum significat titulum, quo ciuibus debentur bona communia: quod consideratur à iustitiâ distributiva. item significat titulum, quem aliquis habet ad bona propria, quibus contra iniustitiam priuari non potest: responderetque iustitiæ explicatæ §. 5.

§. 11. Denique accipitur pro obiecto virtutum, quæ sunt iustitiæ potestatiuæ explicatæ §. 6.

§. 12. Quia verò iustitiâ habet pro obiecto ius constituens dominium, oportet explicare ius. De obiecto iustitiæ vindicatiuæ non est necessaria disputatio, quia neque nostra interest nunc, & est æqualis pœna delicto. De obiecto iustitiæ distributiuæ, qua parte differt à commutativa, pauca dicam; parum enim differt à commutativa: quod

neque seruat æqualitatem arithmeticam, & est de bonis communibus: est autem præcipua controversia de iure quod est obiectum iustitiæ commutatiuæ.

SECTIO III.

Explicatum ius & dominium.

§. 13. **I**ustitia definitur à Iustiniano *constans & perpetua voluntas ius suum vnicique tribuens.*

Constans dicitur, quia virtus est habitus firmus operans firmiter & delectabiliter. *Perpetua* est non tam ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti. Si enim actus ille mutetur, propterea non desinet fuisse iustitiam: at verò vt sit virtus opus est vt velit perpetuò seruare vnicique ius suum. si enim illud vellet seruare pro tempore aliquo, & non pro semper, non esset actus iustitiæ. *Ius* accipitur pro re quæ est alicuius: cum enim ego restituo Petro equum, illi tribuo ius suum, id est, rem quam illi debeo, & ad quam ipse habet ius: at verò illi non reddo suum ius: illud enim habebat antequàm ego redderem equum: & quia ille habebat tale ius, ego illi debebam equum. Ius igitur est idem quod dominium; si accipiatur de iure in re. Semper autem ius aut est dominium, aut in illud tendit: ius enim aut est in re, aut ad rem. si in re, est dominium: si ad rem, est ad acquirendum dominium.

§. 14. *Ius & dominium est facultas vtendi re pro libito citra iniuriam alterius.* Quæ diffinitio præ se fert incommoda circuli. illa enim vox *citra iniuriam* explicata est per *ius*: quia ius & iniuria opponuntur. Cum igitur ea diffinitione non constet quid sit ius, nisi per iniuriam, & iniuria explicari non possit nisi per ius; est obscura definitio, & in circulo. Explanandum igitur prius est ius, vt cognoscatur iniuria.

§. 15. Omittis alijs, existimo ius in re, siue dominium, esse facultatem vtendi re pro libito absque peccato eo præcisè quia ea vtor. Quod rectè dixit Bartolus in l. *Si quis vi*, §. *Differentia*, ff. *de acquirenda possessione*, dominium esse ius perfectè disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur. Hæc Bartolus, quem tamen explicari video à P. Molina tom. 3. de Iustitiâ in alio sensu. at certè hic est magis è re: omnis enim dominus potest licitè vti re sua, nisi lege prohibeatur. Considera rem meam, qua ego vtor pro meo libito. Hic vsus, quia est vsus rei meæ, non est peccatum: si autem est aliquando, ideo est quia inde resultat aliquid contra aliam virtutem. si autem vtar re aliena, ille vsus est peccatum per se, nisi per accidens excusetur. Ex. gr. ego meum vinum epoto temperatè: ille vsus vini non est peccatum eo præcisè quia est vsus: non iniustitiæ, quia nulli iniustitiam facio: non intemperantiæ, quia temperantiæ leges obseruo. Si autem vinum illud epotem ad ebrietatem, tunc ille vsus est peccatum contra temperantiâ, non verò contra iustitiâ. Si autem vinum sit alienum, illius vsus, licet non esset contra temperantiâ, esset contra iustitiâ, eo præcisè quia est vsus; nisi per accidens excusetur. Si autem potetur vinum alienum ad temulentiam, certò admittuntur duo peccata: alterum contra iustitiâ, contra temperantiâ alterum. Hæc sunt clarissima, neque opus est quærere aliam vnionem rei cum domino.

§. 16.

S. Thom.
q. 1. art. 2.

§. 16. Difficilius est explicare, quæ sit ratio formalis iuris in re, seu domini: in quo enim formaliter consistat, non est facile. Dixi, hoc ius esse titulum seu rationem ob quam ego possum uti re pro meo libito absque peccato: quæramus titulos, & inueniemus dominum. Deus potest alicui donare rem vtendam pro libito: titulus ad vtendum ea re sine peccato, est voluntas Dei donans mihi rem illam: si enim quæras cur ego possim uti ea re sine peccato: rectè respondebo, Quia Deus eam mihi donauit. Obiectum illius voluntatis est, vt ego utar illa re pro meo libito, sine peccato eo præcisè quòd utar. consequenter autem vult ne alius ea utatur absque peccato, contra meum libitum. Hic reperio duo iura, alterum formale, alterum obiectiuum: formale est illa voluntas Dei, qua voluit vtumque, nempe vt ego possim sine peccato uti ea re, & ne alius absque peccato possit ea uti pro suo libito. Ius autem obiectiuum est illa facultas volita à Deo, quæ nihil est aliud nisi in me carentia peccati, in vtenda illa re: in alio verò est ratio peccati, in eadè vtenda independentè à mea voluntate. Perinde ergo est illa formalis donatio Dei, ac si diceret: *Ego volo vt tu sine peccato ea re utaris pro libito: & nolo vt alius utatur absq; peccato.* Ex qua voluntate sequuntur duo, & ne ego peccem vtendo ea re; & vt alius peccet vtendo. Cum igitur in eo statu sumus, vt ego non peccem, & alius peccet; res est mea, & non aliorum. hic autem status formaliter constituitur donatione Dei. Idem dico de hominum donatione, quæ hac in parte imitatur diuinam: homo enim rem donans habet voluntatem, vt ego possim ea uti pro meo libito; ceteri autem non nisi dependentè à mea voluntate, vel aliquo euentu accidentario. Idem dixerim de filiatione, contractu, aut alijs rebus quæ titulus sunt acquirendi iuris. Igitur ego non pecco vtendo ea re, quia non facio contra voluntatem domini, qui eam mihi donauit: alij peccant, quia vtuntur contra voluntatem eamdem: quia faciunt contra vsum volitum à donante.

§. 17. Obijcis Primò: In extrema aut graui necessitate potest aliquis uti alimento alieno absque peccato contra voluntatem domini; & tamen nõ est dominus eius rei. Respondeo, illum esse euentum accidentarium: in quo noluit Deus excludere egentem extremè ab vso illius rei. Ob quod multi censent eo euentu egentem habere ius ad alimentum, neque postea teneri ad restitutionem, etiam si fiat locupletior. est tamen magis adstrictum illud ius: nec enim potest egens extremè alimentum dare non indigenti extremè: quia non potest uti alimento pro libito, nisi tantum in sui conseruationem, aut aliorum æquè indigentium. Prior autem dominus alimenti potest absolutè eo uti pro libito citra iniustitiam; in eo autem euentu si egens habet ius ad alimentum, quod erat alienum, non potest alienus dominus illud negare citra iniustitiam: quia egens habet in illud ius ad rem. Si verò indigens non habet ius ad rem, dominus alimenti non peccat contra iustitiam si illud neget, peccat tamen contra charitatem.

§. 18. Obijcis Secundò: Ego sum dominus vitæ, qua non possum uti pro libito absque peccato: non enim possum me interimere, sicut possum meum equum: ergo dominium non est facultas vtèdi re pro libito absque peccato. P. Molina to. 1.

de Iustitia disp. 18. negat antecedens: neque ille solus: alij illud admittunt. Ego distinguo. sum directè dominus vitæ, nego antecedens: sum indirectè, concedo antecedens. quia sum dominus directus vsusfructus vitæ; quapropter non possum ego me occidere absque peccato: possum autem meum equum, quia Deus me non constituit directè dominum vitæ propriæ, constituit autem equinæ. Qui me autem occidit, peccat directè contra charitatem, quia graue malum mihi infert. Si autem mors est mihi inuita, peccat etiam contra iustitiam: quia eam vitam mihi donauit Deus ad illius vsusfructum. Vtrum autem homicidium vt sic, sit iniustitia specialis in Deum, aut rempubl. non est huius loci. Hic non ago de domino, cui responderet seruitus: est enim ad rem separatum, vt dicam disp. 78 à §. 3.

§. 19. Obijcis Tertio: Ego pecco contra iustitiam vtendo meo libero arbitrio irrogans alicui iniuriam: & tamen sum dominus liberi mei arbitrij: ergo. Respondeo, iustitiam alienam esse in causa vt ego peccem contra iustitiam: quia Deus constituens alium dominum honoris & fortunarum, voluit ne ego utar libero arbitrio in detractioe aut furto. si autè præcisè consideretur vsus mei arbitrij, non pecco contra iustitiam; pecco autem ratione obiecti. Quod explico. Pone, à me oppugnari urbem sulphure proprio & alieno: vtens proprio sulphure, non pecco contra iustitiam illo vtens, pecco tamen contra iustitiam demoliens alienos muros. quando verò vtor alieno puluere, bis pecco contra iustitiam: primò, vtens puluere alieno inuito domino: secundò, demoliens muros alienos. quæ peccata sunt separabilia. Ita ego pecco contra iustitiam, ex parte obiecti amans imminutionem alieni boni; eo autem quòd utar arbitrio, non pecco contra iustitiam in proximum: quia non vtor arbitrio alicuius creaturæ, sed meo: vt constat exemplo pulueris proprii insumpti in amburendis alienis bonis: quia ambustio mei pulueris non est contra iustitiam, est autem ambustio boni alieni. Vtrum autem peccatum sit contra iustitiam in Deum, est alia quæstio.

SECTIO IV.

Vtrum ius sit potestas absoluta, an verò conditionata?

SUBSECTIO I.

Quotuplex est potestas.

§. 20. **P**otestas vtendi re est duplex, altera physica, altera moralis. Physica potestas est, qua possumus rem tenere, perdere, aut distrahere pro libito: vt latro tenet pecuniam alienam, quam potest distrahere, projicere in flumen, aut conflare, potest item uti alieno equo. Potestas moralis est, qua omnes illos vsus possumus licitè, ita vt non peccemus eo præcisè quòd rebus illis vtamur pro libito: quia nisi contra aliam virtutem aliquid refultet, ille vsus nobis est licitus. Hæc potestas moralis per se supponit in parte physicam, aut illam exigit comitantem. Quia si per se repugnat Petro vsus physicus alicuius rei, potestas moralis erit inutilis.

At

At non exigitur potentia physica ad omnes vsus ab ipso domino: satis enim est si possibiles sint ab ipso, vel ab alio ipsius auctoritate exerceri: vt etiam dicam §. 30. Ego enim habeo ius ad tenendum equum in stabulo: possum tamen carere viribus ad illum tenendum capistro aut loris. Item, habeo ius ad asportandum mea bona Salmantica Valmasedam: at non sum tam baiulus, vt ea possum humeris ferre. Item, sum dominus pecuniæ distantis, & absentis equi: quibus sic absentibus possum vti moraliter, ea alienando, aut alia ratione: physice autem non possum illis vti dum absunt.

§. 21. Potestas moralis est duplex: altera absoluta, altera conditionata. Absoluta est, ex qua hic & nunc ego possum vti re absque peccato: vt donare equum, commutare, aut occidere: conditionata, qua, si rem habeam, possum licite illa vti: item, si illam distrāham, nulli faciam iniuriam. Differt hæc potestas à prima: quòd absoluta est coniuncta cum potentia physica; conditionata verò non est ita coniuncta. Quod explico. Ego habeo equum apud me, quo possum physice vti: habeo vtramque potestatem absolutam, tam physicam quam moralem. Si verò equum non habeam, quia distat, aut latet; non habeo potentiam physicam eo in eo statu vtendi pro libito: neque habeo potestatem moralem absolutam vtendi equo pro libito; habeo tamen eam conditionatam: quia si vterer equo, nulli facerem iniuriam.

SVBSECTIO II.

Prima opinio.

§. 22. **D**isquirenda sunt opiniones non solum quæ lucem videre, sed quæ cum probabilitatis specie possunt prodire. Fortè censebit aliquis, dominium non esse potestatem moralem absolutam vtendi re pro libito, sed conditionatam. Primum, si Deus negaret concursum Petro ad vtendum equo ad alios vsus præter donationem & retentionem; Petrus non posset absolute vti suo equo, nisi retinendo & donando: ergo habet potestatem moralem, non absolutam, sed conditionatam: quia absolute neque licite, neque illicite, potest vti equo alia ratione: & tamen haberet plenum dominium in equum, quia si eum occideret, nulli faceret iniuriam. Ergo dominium consistit in illa potestate conditionata, quòd nulli inferret iniuriam, si vteretur equo alia ratione. Confirmatur. Petrus est dominus equi, quem detinet fur, quo non potest Petrus physice vti: ergo propter illam potestatem conditionatam, dominium Petri constituitur in equum.

§. 23. Secundum fundamentum: si Deus Petro promississet gloriam absque conditione onerosa, ita vt non maneret obligatus ex iustitia; Deo esset plenum ac perfectum dominium in gloriam, quam absolute non posset negare, neque illa vti absolute pro omni libito, sed tantum sub conditione, si illa vteretur non esset iniurius Petro.

§. 24. Hinc deduces Primum, Deum semper esse dominum creaturarum, etiam quas nobis dat cum onere: quia si non daret, non inferret iniuriam. Secundò sequitur, non posse dominium plenum esse apud duos in eadem rem.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

SVBSECTIO III.

Impugnantur argumenta.

§. 25. **H**æc argumenta facile impugnantur. Præmitto quæ dixi disp. 11. §. 44. & 45. argumentum ab impossibili non posse esse retinendo terminos immediatè logicè & formaliter oppositos; sed retenta hypothesi impossibili, expungendos esse terminos logicè contradictorios. Quia non est arguendum ex hac hypothesi: *Ponamus cæcum videre*: visus enim opponitur immediatè cæcitati, & ex ea hypothesi sequitur quodlibet: sed arguendum est, *Ponamus hominem non posse videre*. Idem dico de quavis alia hypothesi impossibili.

§. 26. Quæ de casu impossibili dixi, accipienda sunt de conditionibus: in quibus non est retinenda conditionalis implicans terminos contradictorios logicè, sed terminos non oppositos immediatè. Ex gr. hæc est bona conditionalis: *Si homo non videret, non satis perciperet colorem*. In qua conditione nihil est impossibile, neque absurdum, & quod inferitur, legitime inferitur: ob adagium commune, *Cæcus non indicat de coloribus*. Hæc autem conditionalis est inepta: *Si cæcus videret, perciperet colores*. quia iungit visionem & cæcitatem: ac si diceret, *Si homo simul esset, & non esset cæcus*. De quo arguendi genere plura dixi disputans de Trinitate.

§. 27. Vtroque vitio insciuntur ea duo argumenta. Quod proponitur §. 22. est ex hypothesi implicante terminos immediatè oppositos: est enim ex suppositione quòd Petrus vteretur equo contra Dei voluntatem efficacem de se, & negantem concursum generalem. Nam si Petrus vteretur equo, eum occidens, negante Deo concursum generalem ad illam actionem, nulli faceret iniuriam. quod perinde est ac, *Si cæcus videret, perciperet colorem*: occisio enim equi tam repugnat cum negatione concursus generalis, quam visio cum cæcitate: ponit enim actum sine potentia, vnde simul componit potentiam cum impotentia: quia sicut cæcitas est carentia potentia videndi, & per se ipsam affert negationem videndi, ita negatio concursus generalis pertinet ad conceptum impotentia creatæ, & per se ipsam infert negationem actus.

§. 28. Ad argum. ex §. 2. respòdeo Primum, negatâ Minori secūdi syllogismi: Petrus enim non haberet tunc completum dominium ad omnes vsus equi, sed tantum ad duos: quia per se dominium est ad omnes vsus Petro possibiles: tunc autem per se non sunt possibiles Petro, nisi duo vsus: sicut cæcus non potest absolute videre. Conditionalis autem illa propositio non est admittenda propter repugnantiam terminorum: quia perinde est si Petrus vteretur equo sine concursu generali, ac si diceres Petrum habere actum sine potentia: sequitur enim quodlibet, nempe, eum habere potentiam, quia habet actum; & non habere potentiam, quia ita ponitur. Si verò Deus postea pararet concursum ad alios vsus, opus esset noua voluntate aut titulo dominij, vt Petrus posset licite vti equo omni ratione sibi possibili.

§. 29. Obijcis Primum: Petrus habeat ius hereditatis in equum, & Deus pareat concursum ad duos vsus, & non ad alios; tunc non est opus nouo titulo:

H titulo:

S. Thom.
q. 1. art. 2.

titulo: ergo habet dominium plenum. Distinguo consequens: habet dominium plenum ante negationem concursus, concedo consequentiam: post negationem concursus, nego consequentiam: quia ablatâ potentiâ physicâ vtendi equo per me, vel per alium, perit ius in re siue dominium, licet maneat ius ad rem: si verò Deus restitueret concursum generalem, dominium rediret quod ablatum fuerat ad tempus. Titulus autem hereditatis, aut donationis absolutæ, satis esset vt maneret ius ad rem, si res ipsa iterum redeat in nostram potestatem. Quo euentu rediret iterum dominium, & ius in re: quia, vt hoc rediret, nihil deest nisi vt rediret potentia physica vtendi equo vel per me vel per alium. Quod patet hoc exemplo: Occidatur meus equus, perit dominium & ius in re, quod in illum ego habebam; Deus autem reuocet equum ad vitam: tunc ego iterum reddor illius dominus cum iure in re, propter titulum priorem, quo fui dominus equi: qui titulus reliquit mihi ius ad rem. Propter hunc titulum posset Petrus vt equo suo, citra iniuriam alterius, si Deus pararet concursum: quia ius ad rem fuit in causa vt rediret ius in re: quo iure nulli faceret iniuriam. Ratio est, quia potentia physica vtendi re per me vel per alium, est fundamentum iuris in re.

§. 30. Obijcis Secundò: Ergo Petrus non habet ius in re neque dominium absentis equi, quia non potest illo vt. Nego consequentiam: constat ex §. 20. non esse necessariam potentiam physicam ad omnes vsus exercendos ab ipso domino: satis enim est, si ipse per se, vel per alium, possit physicè rebus vt. Ob quod Petrus potest donare equum absentem, vendere aut commutare: quia per se, vel per alium, potest vt equo quantum fuerit necessarium ad eos vsus. Ratio à priori: quia Petrus habet simpliciter potentiam physicam vtendi equo in illos vsus per se, vel per alium. Distantia verò non auferet potentiam, sed impedit eius exercitium. Quemadmodum ego nunc habeo potentiam physicam videndi Saluanticam: quam tamen nunc non possum videre; non quidem ex defectu oculorum, sed quia actus videndi pendet etiam aliunde quàm ab oculis. Ita dominium pendet à potentia physica simpliciter; non tamen à conditionibus, à quibus pendet exercitium dominij, non dominium. Si verò vsus tam per me, quàm per alium, mihi repugnaret ex defectu potentiæ physicæ; non haberem dominium ad talem vsus, sed tantum ius ad rem: quemadmodum si visio mihi repugnaret ex defectu oculorum, non haberem potentiam videndi.

§. 31. Secundò respondeo ad idem argumentum ex §. 22. dominium absolutum pendere à potentia physica secundum se debita domino; non verò à potentia proximè expedita. Cum ergo ex natura rei debeat Petrus concursus generalis ad omnes vsus equi Petro possibiles ex natura rei, debetur Petro concursus generalis ad omnes illos, ad quos omnes habet dominium. Ad probationem respondeo, dominium non egere illa hypothese, sed potentia per se, quam Petrus habet licet per accidens impeditam: quia negatio concursus est per accidens potentiæ physicæ Petri. Quæ doctrina est clara ad omnes occasiones, quibus Petrus priuatur per accidens potentia proximè expedita. Vnde si prohibito vtatur equo, nulli est iniurius: quia habet dominium, nempe facultatem physicam cui per se

debetur concursus, & moralem: quæ tantum pendet à potentia physica cui debeat proximum complementum. Ex dictis patet ad confirmationem ex eodem §. 22.

§. 32. Secundum argumentum ex §. 23. non est melius: tum quia in eo euentu Deus habet plenum dominium non solum in actu primo, sed etiam in secundo: quemadmodum habet potentiam physicam redactam ad actum secundum. Et quemadmodum cum actu secundo physico componitur potentia physica vtendi re omni ratione, ita cum actu secundo morali componitur potentia moralis vtendi re pro libito omni ratione citra iniuriam aliorum. Quòd verò Deus ex suppositione vnus vsus non possit alium, non oritur ex defectu potentiæ moralis, sed ex ipsorum effectuum repugnantia: quia Petrus esse perfectum dominum equi pono opponi cum perfecto dominio Pauli in eundem equum: ob quod Deus non potest velle vt vterque simul sit perfectè dominus equi: at verò suppositio quòd Deus velit donare Petro perfectum dominium equi, non tollit potestatem absolutam Dei illum donandi Paulo: sicut Deus non potest physicè efficere vt equus simul viuat & moriatur, quia illi effectus sunt oppositi. at verò ex suppositione quòd Deus equum occidat, non amittitur potentia physica illi conferuandi vitam. Secundò, argumentum est malum, quia illa conditionalis est inepta: quia vel est in sensu composito donationis gloriæ: ita vt si in eo sensu illam negaret Petrus, id faceret citra iniuriam Petri. quod perinde est, ac si simul Petro daret, & negaret gloriam: cuius suppositionis vitium iam ostendi §. 25. & 26. Eâ tamen admissâ sequitur vtrumque: Deus enim esset dominus, & iniustus: dominus quidem, quia non potest abdicare dominium, & quia illud tunc exercet: donatio enim est actus secundus dominij: iniustus autem, quia Petrus priuat iure suo. Si verò illa cõditio est in sensu diuiso, non cõiungitur vsus dominij cum potestate conditionata, sed cum absoluta. De hoc arguendū genere vide §. 66. & 67. ibi enim latius respõdetur.

SVBSECTIO IV.

Dominium est potestas absoluta.

§. 33. **D**ico igitur, dominium, siue ius in re, non esse potestatem conditionatam, sed absolutam vtendi re pro libito. Primùm, quia illa potestas est qualis est obligatio subiecti ad parendum præfecto: sed hæc est absoluta obligatio, & non conditionata: ergo dominium est potestas absoluta & non conditionata. Maior patet, quia sicut ego possum ratione donationis vt equo pro libito; ita teneor ratione voti obedire Prælato: & quemadmodum teneor ego obedire Prælato, si aliquid præcipiat; ita non pecco contra iustitiam si equum occidam: & quemadmodum vsus physicus nõ potest esse absentis equi; ita nec potest esse cognitio præcepti. Minor probatur, quia obligatio inest mihi nunc independens ab vlla conditione. Quamuis enim obedientiæ exercitium actuale pendet à multis conditionibus, nempe à præcepto, eius cognitione, & alijs: at obligatio obediendi non pendet ab his conditionibus, sed à voto aut lege. Idem dico de obligatione restituendi, quæ absoluta est, & non conditionata. Restitutio actualis pendet

pendet à multis conditionibus: obligatio verò non pendet nisi à furto, aut mutuo aliaue causa. Imò potentia visiva esset etiam conditionata ex suppositione quòd adsit obiectum cum alijs sine quibus visio esse non potest. Quòd si potestas moralis absoluta non esset in equum absentem, quia non possum eo physicè uti: & eo præcisè esse me eius dominus, quia si vterer, nulli facerem iniuriam: ita non haberem potentiam visivam absolutè ad obiectum absens, quia dum abest, non possum illud videre: & eo præcisè haberem potentiam visivam, quia si adesset, posset videri. Secundò, à priori, quia potestas in actu primo est independens ab actu secundo, neque ad actum primum sunt necessaria quæ ad actum secundum. Argumenta autem pro opposita sententia indicant potentiam in actu primo pendere ab ipsa à quibus in actu secundo. Tertio, à priori: quia hæc potestas est titulus ad honestum usum, ut est certum: sed ego absolutè, & non sub conditione titulum habeo ad honestum usum: ergo & potestatem. Probo Minorem, quia hereditas: aut donatio, aut contractus absolutè sunt: ego enim absolutè sum heres mei parentis; aut donatio facta est mihi absolutè; aut contractus est absolutè initus. Sine enim res sit physicè in mea potestate, siue non; ego illam absolutè emi, aut accipi.

§. 34. Quod infertur §. 24. de dominio Dei, est in eodem absurdo: illa enim suppositio quòd Deus citra iniuriam alius donaret nobis rem promissam, est in sensu composito quòd illam vellet absolutè donare Petro ex. gr. & eandem simul Paulo promitteret: quod perinde est ac Deum simul velle dare, & non dare rem eidem homini. In sensu autem diuiso nihil vrger, quia sensus diuisus non tollit potestatem absolutam Dei. De hoc argumento ex eo casu impossibili vide §. 66. & 67. Quod obijci- tur eodem §. 24. de dominio duorum in eandem rem, iam exquirò: est enim difficultas in utramque partem grauis, quam iam exquirò.

SECTIO V.

Utrum duo possint simul habere dominium eiusdem rei?

§. 35. **N**onest quæstio de dominio inadæquato: duo enim possunt in eandem rem habere dominium pro indiuiso: quia singulorum dominium est partialè pendens in usum reciproçè à voluntate alterius. Est autem quæstio de dominio perfectò. Non possumus pedem mouere in examinanda iustitia satisfactionis Christianæ, nisi hac difficultate complanata.

SVBSECTIO I.

Partis affirmantis prima conclusio inter creaturas.

§. 36. **D**ico Primò: Dux creaturæ in eodem instanti reali possunt habere simul plenè & perfectum dominium in eandem rem vtendam pro libito: ita vt simul sit vtriusque, & possit vterque ea vti pro libito citra iniuriam alterius: ita

Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

tamen, vt in donante sit dominium per vltimum sui esse, sitque in illo pro eo instanti, & immediatè post non sit; in accipiente verò sit dominium per primum sui esse, ita vt tunc sit, & immediatè antè non fuerit. Explico: Antonius donat equum Petro, tunc Antonius est dominus equi: elapso autem eo instanti iam non erit illius dominus; Petrus autem eodem instanti incipit esse dominus equi: at verò toto tempore antecedenti non fuerat.

§. 37. Vt autem argumenta sint clariora, sint in angelis potentibus eodem instanti reali mutuo colloqui & percipi: ponamus totum tempus concludi tribus instantibus; quorum primo Deus Michael constituit dominum hominis; secundo Michael nihil de seruo statuit; tertio illum donat Gabrieli donationem acceptanti eodem tertio instanti.

§. 38. Sic argumentor: Michael eo tertio instanti est plenè dominus serui, item & Gabriel: ergo dux creaturæ possunt eodem instanti reali habere dominium perfectum in rem eandem. De Gabriele res est clara: tunc enim ei donatur seruus & acceptatur, quem eodem instanti donare potest, & occidere (si dominium erat in vitam.) De Michaelle probo: nullus potest absque peccato donare seruum, nisi, quando illum donat, sit eius dominus: sed Michael tertio instanti donat absque peccato Gabrieli hominem seruum: ergo Michael eo tertio instanti est dominus serui. Maior probatur: illa donatio est actus dominij: sed in instanti quo aliquis non habet dominium, non potest absque peccato exercere actum dominij: ergo Michael tertio instanti est dominus serui. Maior est certa ex terminis: nullus enim potest donare aliquid absque dominio. Minor probatur, quia actus dominij est vsus rei propriæ: qui vsus oritur ab ipsa proprietate: propterea enim est absque peccato. Quòd si non sit proprietas & dominium, non est vnde honestetur ille actus.

§. 39. Confirmatur. Michael constituit hominem seruum Gabrielis vtendum ab ipso Gabriele pro libito: quod Michael non potest efficere absque hominis iniuria, nisi in illo habeat ius & dominium: ergo opus est vt Michael habeat dominium hominis eo tertio instanti: alioquin donaret quod non est suum. Rogo, vtrum eo tertio instanti homo sit seruus Michaelis, an verò non sit? si est, ergo habeo intentum; si autem non est, quo pacto illum Michael donat Gabrieli libertate priuatum?

§. 40. Obijcis Primò: Homo fuit seruus Michaelis secundo instanti: à quo honestatur donatio in tertio. Contra: Dominium in secundo instanti nisi etiam duret in tertio, non est satis ad licitè donandum seruum in tertio: quia potuit Michael in secundo instanti esse dominus serui, & eo dominio priuati in tertio instanti, quia dominium potuit à Deo dari non vltra secundum instans. item potuit illum priuare dominio pro tempore post secundum instans; & tunc donatio serui in tertio instanti esset illicita: ergo sola præcisio dominij in secundo instanti non honestat donationem in tertio. Ratio est, quia eo tertio instanti Michael non est dominus serui: ergo opus est ad licitam donationem in tertio instanti, vt donans eodem instanti tertio habeat dominium rei donatæ.

§. 41. Obijcis Secundò: Requiritur duo ad licitam

*S. Thom.
q. 1. art. 2.*

citam donationem: primum, ut in secundo instanti præcesserit dominium: secundum, ut tertio instanti non destruat dominium, nisi donatione ipsa. **Contrà:** Donatio aut reperit realiter dominium in tertio instanti, aut non reperit? si reperit, habeo intentum: tunc autem non potest destrui dominium, quia in eodem instanti reali non potest simul esse, & non esse. si verò non reperit: ergo est donatio absolute, de re non propria: item est nulla donatio. Probo consequentiam: eo tertio instanti est realiter donatio, & eo tertio instanti Michael non habet dominium in re donanda: ergo rem donat in quam non habet realiter dominium: ergo donat rem non propriam. Probo consequentiam, quia res non est propria eius qui non habet illius dominium: dominium autem in instanti secundo, non facit rem propriam in instanti tertio, nisi ad illud perseveret, ut dixi §. 40. Confirmatur. Donatio in tertio instanti est usus licitus dominij: cuius præsentis, aut præteriti? si præsentis, id ego volo: ergo eo tertio instanti Michael est dominus serui: si præteriti: ergo donatio in tertio instanti non est licita. Probo consequentiam, quia dominium præteritum non reddit licitos usus præsentis: quia de præsentis non est: quod autem præterierit nihil interest, ut constat ex §. 40. Implicat autem donationem esse licitam, nisi rei de præsentis propria.

§. 42. Obijcis Tertio: Donatio est translatio dominij: qua translatione perijt dominium ipsum: quia non potest simul manere in Michael, & transferri in Gabrielem: quia translatio in Gabrielem est destructio dominij in Michael: at non potest simul manere & destrui, quia simul esset, & non esset. **Contrà:** Donatio in tertio instanti est quidem communicatio dominij quod in secundo instanti fuerat apud unum; in tertio autem instanti donatione est apud duos: at pro eo tertio instanti nec est translatio, nec abdicatio, sed est usus præsentis dominij præsentis: terminus autem implicari in destructione dominij per actum ipsius dominij, constabit apertius à §. 43.

§. 43. Secundum argumentum pro eadem prima conclusione è §. 36. Omnis actus secundus physicus & moralis componitur necessarid cum suo actu primo: sed donatio serui in tertio instanti est actus secundus moralis dominij in actu primo: ergo in illo tertio instanti componuntur simul dominium in actu primo & donatio, qui est eius actus secundus. Maior de actu primo physico est per se nota: quia ab actu ad potentiam est consequentia, nisi velis in Cabezudi opinionem incidere constituentem actionem physicam posse existere in aliquo instanti, in quo realiter non existat eius causa, de qua egi disp. 8. Physic. sect. 5. De morali idem probo: ut actio physica accipit esse physicum à causa physica: ita actio moralis accipit esse morale à causa morali honestante actionem aut deturpante: ergo ut existentiam physicam componuntur necessarid in causa & effectu, ita & moralis: quia quemadmodum ens non existens non dat existentiam effectui, ita moralitas non existens non dat valorem actionibus.

§. 44. Vnde inferes, terminos implicari in usu dominij per translationem ipsius: id est, nullo usu dominij, siue actu secundo illius potest dominium amitti aut transferri pro eodem instanti quo exer-

cerur tale dominium. Quia nullus usus alicuius facultatis potest esse illius destructio pro eodem instanti: sicut nullus actus secundus destruit primum pro primo instanti. Confirmatur in instanti quo equum occidit, aut pallium comburit, illis utitur, & exercet suum dominium pro eo instanti: numquam enim homo est magis dominus equi, quam quo tempore illum occidit, citra iniuriam alius: quia dominium est facultas equi occidendi aut conseruandi: & quando illum occidimus, exercemus alterum è duobus usibus dominij. ut enim dominium sit in eo instanti, non est opus ut equus conseruetur, sed ut conseruetur, vel destruat licitè, de quo latior erit sermo §. 56. Pro tempore autem sequenti illæ actiones destruant dominium.

§. 45. Hinc obijcis: Dominium suo usu destruitur pro tempore sequenti: ergo potest destrui pro primo instanti. Probo consequentiam, quia destructio pro tempore sequenti non minus pugnat cum suo actu primo, quam pro primo instanti. Nego consequentiam. Ad probationem respondeo, aliquid simile reperiri in causis physicis, à quibus oritur ipsarum destructio pro tempore sequenti. Quia potentia motiva est principium motus præcipitis, ex quo sequitur interitus animalis: quod non moritur quo tempore se mouet. Imò in causis moralibus idem reperitur; quia meritum potest esse principium, ut pro tempore sequenti destruat suum principium. Quia peccatum potest mereri annihilationem animæ, & actus fidei mereri visionem beatam, qua fides destruitur. At pro eodem instanti quo exercetur merita bona aut mala, non possunt illorum causa corrumpi. Ita dominium suo usu potest corrumpi pro tempore sequenti: quia ille usus aut destruit materiam circa quam dominij, ut cum equum occidimus: aut transfert dominium in alium; ut donatio & contra: usus pro primo autem instanti ea non possunt esse. Ratio à priori, quia ut merita pro primo instanti habent esse à suis principijs, & non possunt illud habere à principijs non existentibus eodem instanti; ita donatio, & quiuvis alius usus dominij habet esse seu valorem moralem ab ipso dominio, quem habere non potest nisi à dominio tunc existente: est ergo dominium causa per se valoris in suis vibus: ob quod opus est ut cum illis existat. At pro tempore sequenti non est opus ut existat donatio valida: quia totus eius valor & efficacia perficitur in primo instanti: & quando talis est, ut non possit ultra instans porrigi, non est opus ut dominium perseveret; imò talis est, ut iam non possit reuocari: quia ad suum valorem non spectat aliud tempus. ita principium meriti potest destrui tempore sequenti: quia non est opus ut meritum ad illud porrigatur. Hac verò de re iterum agendum subsecutione 3. §. 61.

§. 46. Tandem, qui donat seruum est cum iure suo in actu primo & secundo. In actu primo: quia tunc habet facultatem seruum licitè donandi & retinendi; in actu verò secundo, quia vitur iure suo, & illud exercet. Quod patet in libertate amoris & odij. qui amat, retinet libertatem in actu primo ad amorem & odium: quia habet libertatem completam ad actum vtrumque. item est liber in actu secundo, quia habet amorem actualem liberum quoad speciem: idque constat in alijs sexcentis.

SUBSECTIO II.

Argumenta diluta.

§. 47. **N**on posse componi simul in duobus dominium in eandem rem, probabit aliquis. Primum, quia, si Michael in illo tertio instanti temporis explicati §. 37. (quod instans est primum donationis) retineret dominium in hominem, sequeretur in sensu composito donationis Michaellem esse & simul non esse dominum serui ergo. Fore dominum probatur, tum ad hominem: tum quia, si pro aliquo priori Michael erat dominus, non potuit in eodem instanti reali facta quavis suppositione, amittere dominium: quia quod est à parte rei in aliquo instanti reali pro aliquo primo signo rationis aut naturæ, non potest corrumpi in eodem instanti reali pro alio signo posteriori, quia à parte rei simul esset & non esset in eodem instanti reali. Eum non fore dominum inde probatur, quia non haberet potestatem retinendi seruum, citra iniustitiam Gabrielis. Quia si vteretur seruo in alios vsus, irrogaret iniuriam Gabrielis, quod esset contrarationem pleni dominij.

§. 48. Ut argumento respondeam, pono posse Michaellem velle efficaciter dare seruum Gabrielis vtendum pro libito, & velle eum non retinere. Hoc secundum continetur in priori. In hoc casu non habet vim argumentum: est enim de suppositione ridicula: quia ex suppositione illius voluntatis non potest argui ad aliam suppositionem, si Michael vellet seruum in alios vsus distrahere. est enim perinde ac si diceret: *Ponamus Michaellem velle efficaciter donare seruum, & ex hac suppositione ponamus eum non velle dare.* Quæ argumentatio est ridicula, vt dixi §. 25. Vt ergo ex suppositione quòd Petrus loquatur, non potest coniungi alia suppositio quòd taceat: quia est duplex suppositio contradictoria, nempe suppositio quòd loquatur & taceat: ita non est admittendum hoc argumentum cum illa voluntate efficaci. Idem dico de bello iusto ex vtraque parte, de quo agendum subsect. 4. cum agitur de Deo: tale enim bellum non potest esse: quia ex suppositione efficaci voluntatis de tradendo seruo, non potest esse pro eo tertio instanti discrepantia voluntatum inter Michaellem & Gabrielem: ac propterea ea de re non potest esse bellum: Quæ oblerua in §. 52. & 53.

§. 49. Potest item Michael donare seruum Gabrielis, ita vt efficaciter velit Gabrielem esse dominum serui, quo licet possit vti, neque creatura alia possit eo seruo licet vti Gabriele inuito: ac cum hac voluntate potest excogitari alia, qua Michael velit physicè retinere seruum, & impedimento esse Gabrielis ne possit physicè eo vti pro aliquo tempore: vt lacto impedimento est domino; ne possit physicè vti equo. Aliquis has duas voluntates forte negabit; sed immeritò: non enim pugnant in creaturas. altera enim est de potestate morali, altera de physica, quæ separari possunt; & altera amore haberi, altera odio. Cum ergo ea voluntas retinendi physicè seruum est posterior ratione, & quasi natura quàm donatio & acceptatio; est quæstio vtrum ea sit actus dominij, an verò iniustitiæ: argumentum enim ex §. 47. probare videtur eam esse actum dominij.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

§. 50. Censeo eam non esse actum dominij, sed iniustitiæ: est enim vsurpationis rei alienæ inuito domino. quia seruus est Gabrielis, vt probaui §. 36. & admittunt oppositi auctores; ex qua parte seruus est alienus, id est alius creaturæ: alienum enim non accipio pro eodem ac non proprio, sed pro eo quod est alius. Eam verò voluntatem non esse actum dominij, probò: quia duo actus oppositi non possunt simul oriri ab eadem facultate, vt patet in physicis assensu & dissensu, odio & amore, statione & lessione. item & in moralibus. sed donatio iuris moralis, & licita retentio physica rei donatæ, cum impedimento ne ea donatarius vtatur, sunt actus moraliter oppositi: ergo non possunt simul oriri ab eadem facultate morali. Probo Minorem; quia retentio licita physica opponitur in moralitate bonitatis donationi licitæ eiusdem rei. donatio enim sibi vendicat carentiam impedimenti ad vtendum physicè re donata: cui opponitur voluntas ponendi impedimentum, ob quod ea voluntas non potest esse licita. Ergo illæ duæ moralitates opponuntur, nec possunt simul oriri ab eadem facultate morali.

§. 51. Nec difficilis est compositio dominij cum illicita rei vsurpatione pro eodem instanti: quia dominium Michaelis in seruum debet considerari secundum se in actu primo, prius ratione quàm eius dominij vsus in actu secundo. Michael ita consideratus in eo instanti reali pro primo signo rationis, quo causa anteuertit effectum, potest seruum donare, & retinere: quia dominium pro illo primo signo est indifferens vt componatur cum donatione, aut retentione: vtraque enim est eius actus secundus: quilibet autem actus secundus componi potest cum primo. Exemplo sit libertas, quæ in actu primo considerata est indifferens vt componatur cum amore & odio: quæ indifferentia est in eodem instanti reali; prius tamen natura quàm actualis amor aut odium. At ex suppositione quòd Michael donat seruum, manet quidem tam dominus serui quàm antè, etiam ad retinendum licet, sicut voluntas non amittit indifferentiam & libertatem ad odium, etiam ex suppositione amoris: quia quæ sunt pro illo primo signo rationis, non possunt eodem instanti corrumpi. Quamuis autem maneat potestas licet retinendi seruum, at retentio licita componi non potest cum donatione: sicut odium non potest cum amore componi. Hæc autem non arguunt impotentiam actus primi, sed impossibilitatem actuum secundorum: ad quos componendos nunquam fuit potentia. igitur non posse seruum licet retineri ex suppositione donationis; non est non esse pro eo instanti facultatem licet retinendi aut donandi seruum; sed tantum est non esse facultatem ad componendum simul donationem & retentionem licitam. Sicut non posse exerceri odium ex suppositione amoris, non est non esse potentiam ad odium; sed tantum est non posse componi odium & amorem. Vnde hoc est malum argumentum: *Ex suppositione donationis non potest Michael licet retinere seruum: ergo Michael non est dominus serui eo instanti.* Quemadmodum hæc est mala argumentatio: *Michael ex suppositione amoris non potest exercere odium eodem instanti: ergo Michael non habet libertatem ad odium.* Ratio autem est, quia à negatione seruis compositi, negatur potentia in

S. Thom.
9. 1. 2.

sensu diuiso. Id est, ab impotentia coniungendi simul duos actus secundos & oppositos, inferitur negatio potentia in actu primo ad illos. Ex Aristot. 9. Metaph. c. 5. ostendi potentiam ad contraria posse simul esse, contraria verò non posse: nec esse potentiam ad coniungenda contraria, ita simul est potestas moralis ad effectum contrarios, non tamen exercendos simul.

§. 52. Secundum argumentum contra conclusionem in §. 36. est: quia per se posset dari bellum iustum ex vtraque parte. ex parte Gabrielis esset bellum iustum: quia Gabriele eo tertio instanti explicato §. 37. per donationem à Michaele est dominus serui: quo eo instanti potest vti inuito Michaele citra eius iniuriam. Ex parte autè Michaelis esset etiam bellum iustum: quia ex mea sententia Michaele eo instanti est etiam perfectè dominus eiusdem serui: quo vti potest pro suo libito inuito Gabriele, & citra eius iniuriam: ergo per se esset bellum iustum ex vtraque parte.

§. 53. Respondeo hoc argumentum non differre à primo proposito §. 47. cui respondeo negando bellum per se iustum ex vtraque parte. Ad probationem respondeo, Gabrielem posse vti seruo pro libito citra iniustitiam Michaelis, Michael autem absolute potest vti seruo pro libito, id est, si Michael consideretur in actu primo cum dominio: at verò ex suppositione donationis, iam vtitur seruo pro libito, quia exercet actum dominij illum donando: facta autem eà suppositione non potest exercere alium vsum: non ex defectu potentia atque dominij, sed ex suppositione vsuum ipsorum mutuo repugnantium, vt dixi §. 51. Vnde illa suppositio, *Si Michael retineret seruum ex suppositione donationis*, est ridicula, si Michael actu efficaci decreuit seruum donare & tradere: quia cum eo actu non potest esse voluntas retinendi; neque potest esse discrepantia, vt dixi §. 48. ob quod non potest esse bellum. Si verò Michael dedit Gabrieli dominium serui, tamen non decreuit illum tradere efficaciter; non potest esse bellum iustum: quia, si facta donatione & acceptata veller Michael retinere seruum inuito Gabriele; illa voluntas esset iniusta, vt dixi §. 50. ac propterea bellum esset iniustum ex parte Michaelis.

§. 54. Tertium argumentum contra conclusionem in §. 36. Seruus quo instanti manumittitur, est liber, & non est in potestate manumittentis: ergo dominium non potest esse simul in duobus. Maior datur à nobis. Minor probatur: quia seruus acquireret eo instanti manumissionem ipsi domino manumittenti: quia quidquid seruus acquirat, domino acquirit. Estque eadem ratio, in rebus alijs.

§. 55. Respondeo, seruum eo instanti esse liberum, & sui iuris: nego tamen eum non esse sub dominio manumittentis, eiusque seruum: quia dominium in actu primo est potestas ad seruitutem & manumissionem, vterque enim vsum continetur eminenter in dominio: ob quod retentio in seruitute non est minus vsum dominij quam manumissio, & quemadmodum nullus potest licite alium retinere in seruitute, nisi eius dominus sit: ita nec manumittere, quia ergo dominium redactum est ad alterum vsum, non potest componi seruitus in futurum cum manumissione praesenti: non ex defectu dominij, sed ex vsuum repugnantia. Igitur

pro eo tertio instanti explicato §. 37. non possunt componi licita voluntas retinendi seruum pro quarto instanti, & manumissio: quae quidem est retentio serui pro eo tertio instanti: quia est illius vsum pro libito, citra iniuriam alterius. At non dicitur retentio, quia retentio est ad tempus sequens cum carentia manumissionis praesentis. Neque seruus acquirit domino manumissionem, sed sibi, quia verè liber est & posset se vendere: quod autem seruus acquirit, domino acquirit: quando dominus vult seruum retinere, & non dimittere, si autem vult illum dimittere, vult quidquid sequitur manumissionem: manumissio autem reddit hominem liberum. quod autem maneat seruus, non obest pro eo instanti: quia manet cum altera parte dominij, nempe cum manumissione, non verò cum opposita. Neque video cur haec tria argumenta videantur difficiliora quam quae nobis quotidie contingunt: quia quando ego pallium comburo, sum in eo instanti perfectè dominus pallij, possumque amittere: at ex suppositione quod pallium comburo, non possum illo amittere: non ex defectu dominij: quia vt ego licite pallium combussi, potui illo amittere etiam licite. at non possunt illi duo vsum componi: quid ergo est difficilius in donatione, bello iusto, & manumissione?

§. 56. Quartum argumentum est, ad euerendum fundamentum nostrae sententiae: quia vsum dominij potest componi cum dominio non existente, sed praecedente tempore immediate priori: ergo non est cur constitatur dominium simul in duobus. Consequentia probatur, quia ea ratione dominium constituitur à me in duobus: quia non potest esse actus dominij praeteriti, sed praesentis. Antecedens probatur: Michael instanti B. potest absque peccato occidere animal cuius est dominus. quod in Deo est clarum: Deus enim quia est dominus nostri, potest nos occidere: sed eo instanti B. non est dominium praesens in animal occisum; fuit autem tempore immediato: ergo componi potest vsum dominij cum praesenti carentia ipsius dominij. Minor patet, quia dictum est non semel dominium essentialiter pendere ab existentia rei cuius est dominium.

§. 57. Respondeo: Aliud est dominium morale pendere à potestate physica in rem, aliud ab existentia eiusdem rei. Ab hac nec pendet, nec ego asserui: ab illa & pendet, & dixi, quia dominium est potestas vtendi re sine peccato. quae potestas moralis pendet à physica in sensu explicato §. 20. & 30. at pro eodem instanti quo Deus hominem occidit, vita hominis est in potestate physica & morali Dei: quia occisio est actus vtriusque potestatis, non minus quam vita. itaque potentia physica Dei habet duas actiones: alteram positivam producendi creaturam, alteram negatiuam destruendi: quia, vt nemo potest resistere Deo creati, ita nec destruenti: & quando destruit, vtitur omnipotentia physica non minus quam cum producit. Est igitur sufficiens fundamentum ad potestatem moralem & dominium, quo Deus honestè hominem occidit.

§. 58. Ad probationem respondeo, esse in Deo pro eo instanti dominium in hominem quem occidit, & ius in re. Quia eo instanti Deus pro suo libito vtitur homine eum occidendo: vt autem sit dominium & ius in re, satis est si eo instan-

ti possumus licet vitare, vsu quidem physico: & tunc existit alter è duobus vsibus possibilibus, licet non possint uterque simul componi: vt dixi §. 44. Transacto autem eo instanti, manet quidem Deus cum iure ad rem; non tamen cum dominio hominis occisi, neque cum iure in re ad illum: quia tunc nec est res, neque corrumpitur: homo autem seruum manumittens, non manet cum iure ad rem, nec potest illum repetere pro tempore sequenti.

SUBSECTIO III.

Quaedam difficultas.

§. 59. **H**inc enascitur noua difficultas, & ex toto fundamento meae sententiae: quia ego possum exercere dominium, & illud destruere eodem instanti: ergo donatio serui potest oriri à dominio precedente, & non existente tunc. Probo antecedens: Ego possum eo tertio instanti explicato §. 37. cedere meo iuri, & illud à me abdicare: sed ea cessio est actus dominij, & illud destruit eodem instanti: ergo potest actus dominij illud destruere eo instanti. Eam actionem esse dominij patet, quia nullus potest cedere iuri suo, nisi habeat tale ius. Ea destrui dominium eo instanti, probo: quia tunc iam non sum dominus. ratio est, quia illa cessio est actio moralis corruptiua entis moralis: sicut suspensio concursus est actio physica corruptiua entis physici.

§. 60. Confirmatur. Corruptio dominij est effectus translationis dominij; & tamen existit effectus causa non existente: ergo in moralibus ab existentia effectus non bene infertur causae coexistentia. Probo Minorem: quia ex nostra sententia dominium corrumpitur quarto instanti, & non illo tertio explicato §. 37. & tunc potest non esse donatio: & per accidens est eius perseverantia.

§. 61. Respondeo cessionem dominij esse illius corruptionem pro eodem instanti; nego tamen eam esse actum dominij: cedere enim non est vti dominio, sed nolle esse dominum: ego enim possum recusare dominium, antequam illud habeam: quo differt à donatione rei per quam ego illum facio dominum ipsius rei. quod facere non possum absque dominio. Quod autem meo dominio cedo, tantum significat me habuisse dominium, quod recuso. Ad confirmationem ex §. 60. responderi potest Primò, dominium per cessionem destrui obiectiue; illud autem genus causae non perit coexistentiam: at donatio habet vim à dominio non obiectiue, sed quasi efficiens: quae petunt coexistentiam. Secundò respondeo, translatione non destrui dominium immediatè, sed mediatè: quia effectus immediatus translationis est communicatio dominij cum alio: ex qua translatione inter creaturas sequitur carentia dominij in donante. quod quidem non repugnat etiam in causis physicis, vt explicui §. 45.

SUBSECTIO IV.

Secunda conclusio in Deo.

§. 62. **D**ominium creaturae in aliam aduersus Deum est difficile, multiplex ex capite. Nunc disquirendum vtrum ex hac parte repugnet.

Dico Secundò, inter Deum & creaturam non repugnare dominium ex hoc capite: quia Deus potest communicare creaturae plenum dominium in aliam, manens ipse tam perfectus dominus eiusdem rei quàm antea: quia communicatio dominij non minueret dominium Dei.

§. 63. Ac Primùm censent multi, id repugnare, quia Deus abdicaret necessariò à se dominium: implicat autem, Deum non manere perfectè dominum: ergo. Minor est certa: quia terminos implicat creaturam existere nisi sub dominio Dei. Maior probatur Primùm, quia sequeretur, Deum simul esse & non esse dominum creaturae. Secundò sequeretur, Deum licetè posse & non posse vti creaturis. Tertio, sequeretur bellum iustum ex vtraque parte. Quarto sequeretur, creaturam à Deo manumitti.

§. 64. Respondeo hæc omnia esse diluta subseptione 2. Constat ex §. 48. non posse argumentum duci ab illa hypothese ridicula etiam in creaturis, quæ in Deo est multò magis ridicula: quia pro illis instantibus, pro quibus Deus absolutè voluit rem ita esse in mea potestate, vt nihil de illa fieret nisi me volente, Deus non potest velle aliud: quia non potest Deus componere duas voluntates efficaces de obiectis oppositis. Quod autem dixi de creaturis pro vno instanti, dico de Deo pro toto tempore quo voluerit efficaciter obiectum aliquod, etiam si sit pro tota æternitate: in quo est tam immutabilis, quàm creatura in vno instanti. cum igitur tota æternitate Deus exerceat dominium in re quam donat, semper manet in actu secundo dominij & dominus perfectè, vt à §. 36. probaui de Michael pro instanti quo seruum Gabrieli donat.

§. 65. Hic obserua, creaturas non posse habere dominium commune in eandem rem nisi pro vno instanti: pro illo quidem possunt, quia repugnat physicè vt eo instanti componantur duo actus de obiectis oppositis. Vnde ex suppositione quòd Michael donet seruum, commutet, aut vendat, non potest eo instanti facta ea suppositione velle oppositum, aut seruo aliter vti: at pro instanti sequenti potest retractare primam voluntatem, & vti seruo in alios vsus. ob quod posset esse bellum inter Michaellem & Gabrielem: ne autem hoc bellum sit iustum vtrique, opus est ne dominium sit in vtroque, ob quod tantum est in solo Michaelle. Hoc autem bellum est discrepantia voluntatum, quæ ex suppositione donationis non potest esse in primo instanti; tempore autem sequenti potest esse, quia potest Michael per inconstantiam voluntatem mutare. Quòd si pro tempore sequenti essent Michael & Gabriel perfectè domini serui, possent esse in illis voluntates contrariae, & Michael licetè posset vti seruo inuito Gabriele, & Gabriel inuito Michaelle. Vt autem hæc absurda vitentur, opus est vt dominium sit in altero tantum, & non in vtroque: Deus autem pro tota æternitate non potest efficaciter velle oppositum eius quod semel efficaciter voluit ex suppositione quòd illud voluit. Quia sicut Michaeli repugnat ex parte actuum, vt in eo primo instanti componat donationem serui cum opposita voluntate: ita Deo ex parte quasi subiecti propter constantiam repugnat pro tota æternitate mutare voluntatem efficacem: Deus enim est omnino immutabilis physicè & moraliter. Quod igitur est angelo vnum instans, Deo

S. Thom.
q. 1. a. 2.

Deo est tota aeternitas. & quemadmodum dominium potest esse vno instanti, potest esse in Deo & creatura tota aeternitate, & saltem ex hoc capite non repugnabit. Omnia item argumenta quibus probauit §. 38. Michaellem esse dominum serui in illo tertio instanti explicato §. 37. item & Gabriellem habere dominium perfectum, probare possunt in Deo perfectum dominium pro tota aeternitate simul & in creatura. immo duas naturas creatas vnitae Deo, aut eo fruente, idem posse ostendam disp. 81. §. 17.

§. 66. Obijcient, hinc probari, Deum esse immutabilem per inconstantiam: at non probari, Deum communicare nobis ius aduersum seipsum: qui si per impossibile esset inconstans, vteretur re sua nobis iniuris citra iniustitiam nostram. Hoc argumentum potest esse in hypothese impossibili, vt in §. 22. & 23. item 32. in qua iam est impugnatum ibidem, quia simul componerentur duae voluntates quasi contradicentes. Potest item argumentum esse ab impossibili, quin retineantur termini logicae & immediatè contradicentes mutuo; vt hic: quia non est de conceptu quiddam actus liberi vt liberi Dei, vt perseveret quoad denominationem. vnde retineri mutationem actus prioris cum actu opposito, est retineri aliquid physicè impossibile, nempe mutationem Dei: at non est retenta logica contradictio. In eo euentu sic arguor: Si Deus deposito primo actu, haberet nouum, quo nollet dare quod promiserat Petro, ei non faceret iniustitiam: ergo de facto Deus non dat ius Petro. Probo consequentiam: quia nunc non accipit magis quam quod nittur promissioni: item casu impossibili disquirimus quid contingat. Antecedens autem probo: quia tunc Deus maneret perfectè dominus rei promissa: ergo posset ea vti pro libito citra iniuriam Petri. Respondeo, constantiam immutabilem esse radicem essentialiter requisitam ad componendum dominium duorum in rem eandem, & ne sit in eo vllum absurdum; vt duo angeli eodem instanti illud possunt habere: quia eo instanti non possunt mutare voluntatem, nec opponi, nec esse bellum iniustum ex vtraque parte. Vt ergo possibilitas inconstantiae est radix, ob quam non possunt duae creaturae habere dominium integrum in eandem rem: ita impossibilitas inconstantiae est radix essentialiter necessaria, vt possit nobis communicare ius aduersum ipsum, eo manente domino etiam aduersus nos. Sunt autem distincta immutabilitas, & dominium, eiusque communicatio: quia immutabilitas est formaliter in ordine ad actus liberos internos; dominium vero, & eius communicatio, in ordine ad externa.

§. 67. Ad formam argumenti, admitto casum illum, ac respondeo Primum, Deum tunc fore, & non fore iniustum. non fore, quia maneret perfectè dominus, ac vteretur re sua citra iniuriam: fore autem, quia secundus actus non haberet vim ad adimendam sine causa vim promissioni onerosae cum aequalitate oneris, ac rei promissa. vt enim non haberet vim ad tollendam vim promissionis, essetque Deus infidelis; ita nec ad tollendam vim promissionis onerosae aequalis oneri, essetque iniustus. hoc sequitur per consequentiam illius hypothese. Sed demus Deum non fore iniustum: nego consequentiam argumenti, qua infertur Deum de facto non dare ius aduersum se. Ad primam pro-

bationem respondeo, Deum dare de facto quod pender ab ipsa promissione vt inmutabili: qui enim dat causam, ex qua necessariò sequitur effectus, dat effectum: communicatio dominij sequitur necessariò & ex promissione proximè; radicaliter ex immutabilitate. Ad secundam probationem respondeo, casu impossibili conijci quid de facto contingat independens à tali casu, concedo antecedens: dependens à tali casu, nego. etenim si in casu impossibili tollatur causa per se alicuius effectus; hic effectus non contingeret in casu impossibili; nunc verò contingit: quia nunc habet causam per se, quam amitteret in casu impossibili: vt si ponamus hominem non esse admiratiuum, sequitur eum tunc nec fore risuum, quia risus pender ab admiratione: & tamen nunc, quia homo est admiratiuus, est etiam risuius. ita quòd Deus possit creaturae communicare ius aduersum ipsum, pender à constantia immutabili: vnde si per impossibile esset Deus mutabilis, non posset communicare tale ius; nunc autem potest, quia habet eam immutabilitatem, quae est quasi causa per se talis communicationis.

§. 68. Quod obijcitur §. 64. de bello iusto, impugnatum est §. 52. & 53. implicatur enim terminus: quia ex suppositione quòd Deus vult aliquid pro tota aeternitate, non potest oppositum velle, quia quilibet vsus in quem velit creatura distrahere rem à Deo donatam, est ex voluntate Dei: qui aut permissione, aut directa voluntate vult quidquid vult Petrus fieri de tali re; ob quod nullus vsus est contra hanc voluntatem Dei. Demus, hominem semper vt rebus à Deo donatis eas exercendo honestè, illa voluntas esset omnino iuxta voluntatem Dei. Demus item Petrum rebus aliquando per peccatum abuti: illa abusio est contra voluntatem Dei; non tamen contra iustitiam, in hoc sensu. Quia quemadmodum Praelatus potest subiecto dare facultatem ad vtendam pecuniam pro suo libito; subditus autem licet illius vsu peccet contra temperantiam, non tamen contra iustitiam: quia Praelatus noluit titulo iustitiae illi interdiceret vsum pecuniae: alioquin quoties cibis vti-mur in temperatè, peccaremus contra iustitiam Col- legij: ita Deus potuit nobis interdiceret vsum pecuniarum, non quidem titulo iustitiae: sed titulo aliarum virtutum. Sic autem nullus vsus creaturae est contra hunc titulum iustitiae Dei: quia semper Deus exercet suam voluntatem & dominium: ob quod ratione tituli iustitiae non potest esse discrepantia inter voluntatem Dei, & nostram: nec Deus potest ex suppositione huius donationis rem donatam distrahere in alios vsus. Quod obijcitur, Deum non fore iniustum si rem donatam negaret Petro, non est admittendum nec disputandi gratia; quia est hypothesis ridicula, vt dixi §. 48. si componantur duo actus oppositi; alia autem ratione iam dixi §. 66. & 67.

§. 69. Quod eodem §. 64. obijcitur, de manumissione creaturae à Deo, est difficilius: nonnulla dixi §. 55. de eò argumento. Respondeo, hominem non posse à Deo manumitti, sed semper hominem futurum sub potestate Dei & seruitute: item hominem simul posse esse sui iuris & liberum, quia homo semper est sub actuali dominio Dei, ita vt nihil de homine fiat contra voluntatem quam habet Deus titulo dominij: item homo manet liber: quia

quia potest facere de se quod libuerit in ijs in quibus est liber: quia quidquid fecerit, etiam si se vendiderit, est sub actuali dominio Dei volentis titulo dominij non aliud quam homo voluerit ea in parte. Inter creaturas non potest esse seruus & libertas ultra primum instans donationis, quia possunt ultra illud discrepare voluntates: item seruus potest in primo instanti manumissionis acquirere iura sibi, & non domino: quando iura sunt pro tempore sequenti. nam pro primo instanti, manumittens habet sub se illa iura, quia illa donat manumisso. comparatione autem Dei omnia iura acquiruntur ipsi Deo, quia omni tempore Deus illis vitatur pro suo libito: quia voluit illa non distrahere, nisi in vsu quos voluerit creatura. Et in hoc sensu dico non discrepare voluntate creaturæ à voluntate Dei: quia licet creatura possit peccare; tamen Deus non vult efficaciter vti creatura, nisi vt homini libuerit. discrepare ergo possunt, quia potest homo peccare: at Deus id non potest impedire ex suppositione donationis.

SVBSECTIO V.

Aliud argumentum.

§.70. **H**inc argues: Si homo aduersus Deum haberet dominium alicuius rei, ergo Deus non esset talis rei perfectè dominus. Probat Primùm: quia Deus non posset plenè vti eiusmodi re citra iniuriam creaturæ. A qua probatione abstineo, ne eam cum ipsis reperam ad fastidium. Constat enim, manere in Deo dominium plenum in actu primo redactum ad actum secundum per vnum vsum: ex cuius suppositione non possunt esse alij vsus, non ex defectu dominij, sed ex ipsorum vsuum repugnantia. De quibus abunde egi subsect. 1. & 2. recognosce §.51.

§.71. Secundò probatur: quia si creatura haberet ius iustitiæ aduersus Deum, esset in creatura aliquid quod non esset Dei, & cuius Deus non esset dominus: hoc autem est absurdum: ergo. Probo Maiorem: quia ius illud creaturæ non esset Dei, neque Deus esset illius dominus: ergo. Probo Antecedens: quia ius illud esset aduersus Deum ipsum: sed Deus non habet ius aduersum se: ergo. Probo Minorem: quia ius est ad aliud. Confirmatur. si Petrus habet ius aduersus heredem Pauli, & Petrus constituatur heres Pauli, iam non habet tale ius: quia aduersum se non potest illud habere.

§.72. Explicatur: quidquid seruus acquirit dum est seruus, acquirit domino: sed homo semper est seruus Dei, necessariò: ergo domino acquirit ius illud: sed non potest Deus acquirere ius aduersum se: ergo. Confirmatur. Religiosus quidquid acquirit, Religioni acquirit: ergo & creatura Deo.

§.73. Hoc argumentum est æquiuocum. Præmitto, ius quod potest Petrus habere aduersum Deum, nihil esse præter voluntatem Dei, qua voluit Petrum esse dominum rei, vt dixi §.16. Petrum esse dominum rei, & posse ea vti pro libito citra peccatum, est denominatio extrinseca ab eo actu. Vnde constat, dominium Petri esse Dei: quia dominium Petri est actus Dei: sed actus Dei est ipsius Dei: ergo dominium Petri est Dei, ille actus habet diuersos effectus formales pro varietate rerum quas connotat: Deum enim reddit formaliter do-

nantem, & volentem in actu secundo: Petrum autem denominat dominum: rem autem denominat volitam, & donatam. Neque verò opus est vt Deum reddat habentem ius aduersus seipsum: quia hæc denominatio non pertinet nisi illi cuius arbitrio Deus rem permittit: nam respectu Dei potius est vsus actusque secundus dominij quam dominium: nemo autem vsu sui dominij constituitur dominus, sed constituitur exercens dominium. Quod patet donatione qua ego alium constituo dominum rei: quæ donatio me non constituit dominum, sed exercentem dominium; Petrum autem constituit dominum in actu primo.

§.74. Obijcies: Petrus est dominus sui dominij: ergo Deus est etiam dominus ipsius. Nego antecedens, si propriè accipiatur & formaliter: quia formale dominium est denominatio extrinseca, cuius ego non sum dominus. Impropiè tamen Petrus dicitur dominus sui iuris, quia potest illo cedere, & rem donare. Item est dominus dominij obiectiui, hoc autem quidquid sit, totum est Dei, qui potest præcipere Petro, vt cedat iure suo, idque potest præcipere citra iniuriam Petri. Neque verò opus est, vt Deus ratione illius iuris quod habet Petrus, possit aliquid à seipso petere: satis enim est vt possit citra iniuriam Petri destruere tale ius imperans Petro illius cessionem: item volens dominium communicare pro tali tempore, & non ulterius: item sub certis conditionibus. Quid autem excogitari potest deesse Deo ad perfectum dominium illius dominij? An Deus alia ratione est dominus Petri quam potens citra iniuriam alicuius illum destruere & conseruare, vt est dominus dignitatis moralis Petri ad præmia & supplicia? Est quidem Deus dominus dignitatis moralis Petri ad gloriam: & tamen Deus ratione alius dignitatis à nullo potest exigere gloriam, neque pœnas ratione dignitatis moralis, quam ad illas habet Petrus: est autem Deus dominus illarum rerum, quia potest illas suo modo destruere, aut conseruare. Imò Deus est dominus dominij Petri in equum aduersus Paulum: & tamen Deus ratione illius dominij non constituitur dominus equi, quia Deus altiori & excellentiori dominio pollet in equum.

§.75. Ad argumentum ex §.70. nego consequentiam. Ad primam probationem, nego antecedens: quia Deus ipso dominio, quo in actu primo constituit Petrum dominum rerum, exercet in actu secundo suum in illas dominium. item Deus potest illud reuocare aut continuare sine mutatione physica sui aut morali: quia ab æterno potuit velle illud communicare ad tempus, vel ad æternitatem. item & continuare sub certis conditionibus. quæ omnia sunt vsus pleni dominij. Ad secundam probationem ex §.71. nego antecedens: iam enim explicui quo pacto dominium Petri sit Dei: non quod Deus possit agere illo aduersum se, sed quia potest illud conseruare aut destruere. Ad confirmationem ex eodem §.71. respondeo, eam esse disparem: quia Deus vt sit dominus mei iuris, non est opus vt ratione illius possit aliquid petere, sed vt illud possit conseruare aut destruere. Ad explicationem ex §.72. respondeo, Petrum Deo acquirere illud ius, id est, in eius gloriam, non in vtilitatem: Deo enim nihil est vile. Item illud acquirit cum obligatione illo cedendi si ei præcipiatur:

S. Thom.
q. 1. art. 20

s. Thom.
q. 1. a. 2.

piatur. Ad confirmationem ex eodem §. respon-
detur eadem ratione.

SECTIO VI.

Ad que porrigatur ius.

§. 76. **P** Vasquez pluribus in locis reuocat in du-
bium, vtrum iustitia & iniustitia ver-
sentur solum circa pecuniam, & quae per illam
aestimantur; an verò porrigatur ad res superiores,
quae non possunt aestimari pecunia. Quam quae-
stionem non possum ego praeterire, quia satisfac-
tio pro peccato, neque versatur circa pecuniam,
neque circa aestimabilia pecunijs. Est igitur opus
disquirere, vtrum materia iustitiae & iniustitiae sit
adstricta ad solas pecunias, an verò vegetur circa
res spirituales?

§. 77. Negari non potest, Deum esse dominum
omnium creaturarum siue spirituales sint, siue cor-
porae. *Dominus vniuersorum tu es.* & quia eas om-
nes produxit: ob quod dominium illi offertur sa-
crificium, quo fatemur Deum esse supremum do-
minum vitae & mortis. Ratio à priori, quia Deus
absque peccato potest vti omnibus creaturis pro
suo libito: citra iniuriam alicuius: haec autem po-
testas oritur ab essentia Dei vt producente creatu-
ram; ob quod potest illa vti pro suo arbitratu:
ergo est illius dominus.

§. 78. Obijcis: Deus potest vti rebus omnibus
creatis pro suo arbitratu citra alicuius iniuriam,
& absque peccato: non quòd habeat propriè ius
in illas: quia ius est obiectum iustitiae, quae versa-
tur solum circa aestimabilia pecunijs. Contra: illa
facultas constituit Deum dominum angeli, gratiae
& gloriae, non minùs quàm homo constituitur do-
minus pecuniarum. Quis enim neget Deum esse
dominum angelorum: sed omne dominium est
ius in re: ergo illa potestas est propriè ius. Neque de
hoc potest esse dubitatio: poterit autè esse, vtrum
iustitia habeat pro obiecto ius vt sic, an verò ius
pecuniarium? Hic obserua, dominium & ius in re
vt sic abstrahi à pecuniario, & purè spirituali. Cur
igitur iustitia vt sic non habeat pro obiecto ius
sic abstractum?

§. 79. Ad haec: Possunt duo angeli ex iustitia
obligari reciprocè: ergo iustitia latiùs vagatur
quàm circa ius pecuniarium. Probo antecedens:
Primum, quia possunt reciprocè pacisci vt alter
oret pro altero, ad impetrandam rem aliquam, &
offere orationem: tum Michael postquam adiu-
tus est à Gabriele, tenetur orare pro illo, non so-
lum titulo fidelitatis & constantiae, sed etiam titu-
lo iustitiae: non solum quia decreuit & spondit,
sed etiam ratione rei acceptae: res autem accepta,
est titulus iustitiae. Secundò probatur, quia Deus
potuit vnum angelum constituere seruum Gabrie-
lis: tunc angelus seruus teneretur ad parendū
Gabrieli, non secus ac homo mancipium teneretur obe-
dire homini domino.

§. 80. Confirmatur in nobis. Ego possum pa-
cisci cum Antonio, vt pro me faciat Sacrum ad im-
petrandam amicitiam Dei: item, vt ego pro illo
recitem rosarium ad scopum eundem: ex hypo-
thesi quòd ille Sacrum faciat, teneor ego recitare
rosarium ex contractū & re accepta. Huic con-
tractui quid deest ad iustitiam magis quàm si effet

inequo & pecunijs? Maximè cum nuncita con-
tingat: sacerdos enim nisi faciat pro me Sacrum,
tenetur restituere pecuniam acceptam pro facien-
do Sacro: quamuis enim non venditur sacrificium,
sed datur stipendium alendi sacerdotis gratia; ta-
men non potest sacerdos illud retinere, nisi Sa-
crum faciat pro me: & peccat contra iustitiam il-
lius retentione.

§. 81. **P** Vasquez obijcit: In definitionibus stan-
dum est acceptis à philosophis & Theologis anti-
quis: alioquin poterit vnusquisque ex suo cranio
eas effingere. Sed Aristot. & S. Thom. numquam
acceperunt ius obiectum iustitiae, nisi circa vtilia: er-
go: Minor probatur, tum ex Aristot. de finiente ius-
titiam circa commercia; & S. Thoma illi subscri-
bente, qui honorem exclusit à ratione obiecti ius-
titiae, nisi consideretur vt vtilis. Respondeo, Ari-
stotelem non agnouisse dominium in Deo & in-
telligentijs, quibus libertatem & prouidentiam
ademit: ob quod consequenter illis ademit omne
genus commercij spiritualis & pecuniarij. Quòd si
velis Aristotelem in prouidentia Numinis non
errasse tam ineptè; ille egit de specie nobis no-
tiori specie accepta pro genere. Amicitia definitio
Aristotelica quadrat in Dei nostrique amicitiam,
quamuis Aristot. eam negauit inter Deum & nos.
Vbi cumque igitur est mutua benevolentia non la-
tens, est amicitia: ita est obiectum iustitiae vbi est
dominium, & ius, & obligatio ex pacto & re ac-
cepta. S. Thom. milles meminit iuris & domini
Dei. si quando verò negat iustitiam versari nisi
circa commercia, accipiendus est de hac iustitia
trita atque vulgari. Honor est per se obiectum sa-
tisfactionis independentè ab vtili. idem dico de
delectabili.

SECTIO VII.

De iniustitia in Deum.

§. 82. **I** niuria accipitur latè pro offensa siue ob-
iecto displicentiae, quam tenemur vitare:
ob quod omne peccatum ortum ex cognitione
displicentiae Dei, aut ex eius ignorantia culpata,
est iniuria Dei, & dicitur Deus inhonorari. Stri-
ctè accepta iniuria est peccatum contra iustitiam;
maximè autem quando est in honorem: iniuria
enim est idem quod in ius. De hac est quaestio, &
anceps aliquot ex capitibus, quae iam decurro.

SVBSECTIO I.

Sententia & ratio P. Vasquez.

§. 83. **P** Vasquez to. 1. in 1. p. disp. 85. n. 24. & to.
2. in 2. disp. 223. ca. 2. & in 3. p. tota dis-
put. 7. latè probat, nullum peccatum esse iniusti-
tiam contra Deum. Cuius praecipuum fundamen-
tum est, nulli posse iniustitiam irrogari, nisi dam-
num patiat contra vtilitatem in rebus pecunia
aestimabilibus: sed Deus nullum omnino patitur
dammum: igitur Deo non potest inferri iniustitia.
Maiorem propositionem probat definitione ius-
titiae, quae est in commercijs emendandis: in qua
probatione non est admodum breuis in recensuen-
dis auctoribus, quos in primam partem explanandos
reijcio: nec enim haec quaestio ex eis est quae in parte

alterutra eget auctorum censu: quælibet enim pars est satis probabilis, & in materia nullo pacto periculosa, & quæ magis videbitur de voce quàm de rebus.

§. 84. Hoc fundamentum numquam mihi placuit, de quo pauca dixi §. 81. Vitanda autem est quæstio de voce, conuenire cupio in rebus. Deo nihil est absolutè vtile, neque potest pati aliquod damnum absolutè: quia de sua felicitate & voluptate nihil potest ob nos amittere: neque admitto virtutem emendatricem damnorum Dei, cui nulla sunt. Pono item iustitiam & iniustitiam accipi frequentius pro habitibus circa hæc obiecta æstimabilia pecunijs. Quia iustitiæ definitio deriuata est à philosophis, qui de Deo & rebus spiritualibus pauca nouere: item admitto, hanc specialem iustitiam & iniustitiam non esse nobis in Deum. Est igitur controuersia vtrum sit aliquis habitus specialis honestus, aut inhonestus: ad quem spectet seruare illæsum aut lædere ius Dei in sua bona. qui habitus quando est honestus, meritò possit compelli iustitia: iniustitia verò qui lædit ius Dei: qui habitus non conueniant specie infima, sed genere, cum nostra iustitia & iniustitia.

§. 85. Dico igitur, hoc fundamento P. Vasquez non probari repugnantiam huiusmodi habituum. Quod probo Primùm, exemplo gratiæ (quam cum minus bene Latinis claritatis ergo *gratitudinem* appello) quæ est virtus remuneratiua: vt autem circa nos versatur, reddit munera vtilia benefico: neque in nobis in nos est eiusdem speciei ac in Deum, qui à nobis non potest accipere munera sibi vtilia: quia verò Deo reddimus munera in memoriam accepti beneficij, est gratitudo strictè sumpta conueniens genere cum nostra in nos, non autem specie. Ergo eadem ratione est virtus quæ sit iustitia strictè seruans illæsum ius Dei; & iniustitia illud violans: qui habitus non conueniant specie infima cum habitibus iustitiæ & iniustitiæ in nos, conueniant tamen genere: quod genus sit iustitia, aut iniustitia strictè sumpta: sicut gratitudo & ingratiudo constituunt genus virtutis remuneratiuæ, aut vitij oppositi: & sicut viuens sensibile abstractum ab homine & leone constituit animal vt sic propriè acceptum, diuisibile in hominem & leonem, vt in species animalis propriè accepti. Ratio autem similitudinis est, quia vt in Deo & creatura sunt beneficia collata creaturis; & creatura potest illa aut recognoscere, aut obliuisci; ita in Deo & in creatura, est ius, quod creatura potest seruare aut violare: ergo reperitur eadem ratio ad hos actus & ad illos. Quæ adeò sunt aperta, vt mirer hominem tam rarum ingenio, tantum inhæsisse verborum salebris.

§. 86. Confirmatur. Ponamus duos Deos, alterum hunc qui nunc est, cuius sunt omnia creata: alterum in cuius dominio aliqua non sint, eum tamen habere iurisdictionem ad imperandum: quia hæc duo sunt diuersa. Ponamus ab vtroque Deo interdici vsum alicuius rei cuius alter sit dominus, alter non sit: non dubium, quin contra vtrumque admitteretur inobedientia: at contra Deum fictum non posset admitti ingratiudo: quia nullum ab eo accepissemus beneficium, nec item violaretur aliquod eius dominium, aut ius in re. at contra verum Deum posset esse violatio iuris in re; vt posset esse ingratiudo. Vt ergo ratione beneficij accepti posset tunc admitti speciale peccatum contra

gratitudinem in vnum Deum, & non in alterum; s. Thom. cur non posset admitti speciale peccatum iniustitiæ in alterum Deum propter violatum eius ius? illud ergo vitium quod haberet locum contra verum Deum, non verò contra falsum, cur non appellabitur iniustitia strictè accepta; sicut obliuio beneficij vocatur ingratiudo strictè accepta?

§. 87. Secundò probatur: illicita honoris detractio est inter creaturas iniustitia stricta: ergo & inter Deum & creaturam. Antecedens est certum, tum quia satisfactio & restitutio sunt actus iustitiæ strictæ, alter circa pecunijs, alter circa honores: tum quia honor est bonum æstimatione dignum, in quo homo habet ius, quod ius inuito domino efficit vt detractio honoris sit speciale peccatum: nullum autem est præter iniustitiam: ergo.

§. 88. Objicit P. Vasquez, honorem non esse obiectum iustitiæ aut iniustitiæ, nisi vt potest esse vtilis. quod ex S. Thoma confirmat. Respondeo, S. Thom. cum cæteris Theologis non sentire aliter de honore: sæpè enim constituit diuersas materias iustitiæ, honorem, & fortunas: nec posse honorem pecunia compensari. & quidem contra iustitiam peccari potest in honorem, tametsi ab eo nulla pendeat vtilitas. Ratio à priori, quia honor est res aliena; ergo non potest inuito domino detractari absque iniustitia. Pater consequentia, quia detractio rei alienæ inuito domino est iniustitiæ definitio: neq; negari potest meum honorè esse meum bonum, & me habere ius in illo, quem citra iniuriam alicuius possum ego exponere periculo vt pereat: ergo qui lædit hoc ius, committit speciale peccatum contra me: hoc autem peccatum cur non erit contra iustitiam? Confirmatur, in detractio defunctorum, quibus irrogatur iniuria: quorum tamen honor non est propriè vtilis: defuncti enim non egent pecunijs.

§. 89. Hinc colligo rationem à priori, cur Deus possit iniustitiam terminare; quia creatura potest detrahere honorem Deo ipso inuito, vt ostendam à §. 90. sed ille est actus iniustitiæ, vt patet ex definitione furti: ergo potest Deus terminare iniustitiam.

SUBSECTIO II.

Qua ratione sit Deus inuitus?

§. 90. GRAUES nonnulli Doctores censent non posse in Deum iniustitiam inferri. Quia ad iniustitiam opus est, vt qui eam patitur, sit inuitus & nolens: sed Deo inuito & nolente nihil fieri potest: ergo non potest Deus iniuriam pati. Maior confirmatur communi adagio: *Scienti & volenti non fit iniuria*. Deus autem non solum scit & vult, sed etiam operatur vt causa prima. Cui argumento respondebo §. 99.

§. 91. Huic argumento facilè respondebunt Durandus, Aureolus, & alij negantes Deo immediatum influxum in peccatum; de quo peccato Deus nullam habet voluntatem positiuam vt fiat, sed negatiuam de eo non impediendo: at Deo negatiuè se habente circa aliquod obiectum, id non fit volente Deo: quia, vt aliquis velit obiectum, non est satis se circa illud habere negatiuè, sed opus est positua voluntate formali aut virtuali ad illud terminata: multa enim sunt me sciente, quæ non sunt

fiunt me volente; quia nullam de illis habeo voluntatem, licet ea possem impedire, quia non teneor ad impediendum. Fateor ex hac opinione id rectè concludi, quia Deus non tenetur impedire peccata, neque de illis habet voluntatem vllam positivam: ergo licet fiunt sciente Deo, non tamen volente, Meam autem sententiam de illa sententia dixi disp. 2. de auxilijs: & quamvis non probo negari Deo immediatum influxum in actum peccati; negari tamen directam voluntatem circa illum absolutam aut conditionatam; sed solum admitti voluntatem non impediendi, non improbo. in qua opinione peccatum fit Deo sciente, non tamen volente.

§. 92. Objicis: Deus potuit impedire suam iniuriam quàm facillimè, & non impedit: ergo non patitur iniuriam etiam in sententia Durandi: quia ad iniuriam ferendam opus est non posse eam impediri à patiente. Respondeo. Patiens potest honesta de causa non impedire suam iniuriam, quia impedimentum iniuriae esset ipsi patienti impedimento ad alia commoda; ob quod non solum non tenetur eam impedire, sed potiùs honestat carentiam impedimenti. Exempli gratia. Expediit Petro explorare fidelitatem serui aut vxoris, quorum furta posset hic & nunc vitare obseratà portà cubilis, ubi habet pecuniam: at non vult id facere, sed experiri fidelitatem serui: quem non vult à furto deterrere, sed tacitus illud permittit. Non dubium, quin Petrus furtum patiat. Item, potest aliquis clanculum audire sui detractorem honoris: quem posset impedire ne progredetur in detrahendo: quod tamen non præstat, quia illum non potest absque graui incommodo impedire. At certum est eiusmodi hominem iniuriam pati; & detractorem, tamen si postea sciat quid euenerit, teneri ad satisfactionem. Ratio à priori, quia in eo euentu, qui patitur iniuriam, non mouetur ad eam non impediendam ex affectu in illam, nec illam eligit vt medium ad aliquem finem. ob quod non est causa directa illius: vt autem esset causa indirectè & moraliter, opus esset vt posset illam impedire, & teneretur: quando autem non tenetur, etiam si possit, non est causa indirecta & moralis; vt latè probaui disputans de voluntario. Deus habet multas causas ob quas non tenetur impedire peccatum, & honestat carentiam impedimenti. Ob quod qui peccat in eius dominium, admittit in Deum iniustitiam. Eandem ob causam tyranni sunt iniurij Martyribus: qui non tenebantur impedire martyrium, sed potiùs honestabant carentiam impedimenti. Eadem ratione qui soluit vsuras, patitur iniustitiam, quia si soluit, est iniustus. Hinc constat in ea sententia Durandi, quo pacto sit Deus iniustus: quia habet displicentiam positivam in peccatum, & nullum habet positivum actum, quo illud velit directè aut indirectè sub ratione particulari, aut communi.

§. 93. Ponamus opinionem communem de immediato Dei influxu in peccatū. Censebit aliquis Deum esse satis inuitum, quia habet voluntatem exigendi à nobis obsequium titulo dominij, quod satis est ad patiendam iniustitiam. Et quidem posse inter nos ita contingere, patet Primùm in iudicere linquente sua bona exposita furtis, & obseruante latronem si ea diripiat, & volente furtum, vt latronem agat in patibulum: quem odio prosequitur

contra charitatem, qui iudex titulo dominij exigit à latrone, ne bona diripiat; & aliunde opat direptionem: quia odio in latronem illi tendit laqueum ad furtum, quo postea illum extrangulet. Quod si latro ea bona diripiat, quis dubitet, eum fore iniustum? Item, Prælatas potest titulo iurisdictionis exigere obedientiam; ex odio autem in subiectum desiderare potest ne subiectus obediat. Præterea qui soluit vsuras, habet voluntatem soluendi; & tamen vsurarius peccat contra iniustitiam: quia qui soluit, exigit titulo dominij ne vsurarius eas accipiat: ergo iniustitiam possumus pati cum aliqua nostra voluntate circa materiam iniustitiæ. Multò melius erit in Deo minimè desideranti actum peccati.

§. 94. Contrà: Hæc non sunt satis apta: si dominus verè & sincerè vult rem suam detrectari, implicat eum iniustitiam pati: quia *scienti & volenti non fit iniuria*. Qui detrectaret rem alienam, cum cognitione de voluntate domini, non peccaret contra iustitiam: si autem eam ignoraret, esset iniustus per accidens ex conscientia erronea. Quod obijcitur de voluntate exigendi rem titulo dominij, non viget, quia si dominus vult absolutè quantum est ex se, vt detrectet rem illà: ergo dominus ab eo non exigit talem rem: quia quantum est ex se, illam non vult, sed potiùs quantum est ex se, vult vt alius eam detrectet, habetque voluntatem positivam, & quod est in se, absolutam de tali obiecto: qua voluntate rejicit omnem inuiti rationem. Omne autem quod fit, fit Deo cooperante: eo autem neque cooperante, neque permitte non fit. Igitur Deus ita à nobis exigit actionem audiendi Sacri, v. g. vt etiam velit oppositam, & sit in vtramque paratus: ergo non patitur iniustitiam. Pone, herum dicere seruo: *Fac hoc titulo dominij: quod si nolueris, & volueris oppositum facere, ego prestid sum tibi, vt facias quod tibi libuerit*. Ille seruus non tenetur ex iustitia ad illud faciendum, quia herus non inuitus, sed volens, opem feret ad actionem oppositam.

§. 95. Quod §. 93. assertur de iudice, non est efficax. Si enim iudex vult sincerè & absolutè sua bona diripi à Petro, non potest ea direptione iniustitiam pati, quia direptio est ab illo volita sine inuoluntario, quæ direptio potest esse iniustitia per accidens ex ignorantia. Quod si Petrus sciret iudicis voluntatem de direptione, posset sine iniustitia illa bona diripere, quia iudex voluit eam direptionem, vt inde haberet occasionem necandi Petrum: Petrus autem potuit sine iniustitia velle quod iudex, quantum ad direptionem, & fugere ne occidatur: quod si caperetur à iudice, & ipsi iudici constaret Petrum ea bona diripiisse cum cognitione de voluntate ipsius iudicis, non posset iudex agere in Petrum legibus contra latrones, quia Petrus non fuisset latro in ea direptione: quia quantum ad direptionem, Petrus & iudex idem voluerunt absolutè; finis autem vtrique fuit diuersus. At Petrus non tenetur velle eundem finem quem iudex, vt contingit in cōtractibus: ergo ad vitandam iniustitiam satis est si ego vtar rebus alienis domino absolutè volente talem vsum.

§. 96. Prælatas item, de quo §. 93. si vellet absolutè ex odio in subiectum, ne fieret res præcepta; non obligaret eum qui eam voluntatem agnosceret: non enim est præceptum sine voluntate vt fiat

res præcepta. Præceptum enim est voluntas Prælati de aliqua re, obligans subiectum vt illam exequatur: illa autem voluntas Prælati non est de re ipsa præcepta, de qua habet oppositam voluntatem: subiectus autem posset peccare per accidens ex ignorantia. De usurario autem dicam §. 102.

§. 97. Posset autem quis dicere Secundò, ad iniuriam sufficere voluntatem de obligando alio ne vtatur re aliqua: ita vt hæc voluntas non feratur in rem ipsam, sed in solam obligationem: quæ distincta est ab ipsa re, & potest aliquis velle alteram sine altera. Quod patet exemplis adductis §. 93. maximè in iudice volente obligare subiectos legibus, & optante ne eas exequantur, & in reddente usuras, sed non soluente usurarium obligatione restituendi.

§. 98. Respondeo obligationem non esse obiectum volitum lege, nec esse obiectum volitum donatione, & contractu: sed actus ipse præcipientis aut domini est ipsa obligatio. Itaque obligatio obedientiæ est in me extrinseca denominatio ab actu Superioris, qui se ipso me obligat. Ex. grat. iudex ferens legem non habet pro obiecto subiectorum obligationem ad parendum, sed rem ipsam quam præcipit: quam ita vult titulo iurisdictionis, vt nullus possit licitè illam præterire. Item dominus ita mihi donat rem, vt nullus possit illam me inuito detrectare. Quod vulgò dicitur obligatio, id est, impotentia moralis vtendi licitè ea re: est ergo obligatio propriè voluntas donandi, qua volumus vt Petrus licitè possit vti ea re, & nullus alius inuito Petro: vsus autem aliorum inuito Petro, est iniustitia, quia est contra voluntatem donantem. Peccatum autem inobedienciæ est voluntas volens oppositum obiectum illi quod voluit iudex: iniustitia verò est etiam voluntas detrectandi rem quam dominus noluit detrectari. itaque iudice & domino volente obiectum aliquod, ceteri tenentur non velle oppositum: ergo voluntas obligandi non potest separari à voluntate de re ipsa. Ob quod iudex de quo §. 93. volens absolute rem suam detrectari, non potest aliquem obligare ex iustitia, ne illam detrectet: quia eo ipso quòd velit eam detrectari, non detrectatur inuito domino: detrectatur enim domino volente. Idem dico de Prælato, qui neminem potest obligare vt fiat aliquid, quod ipse absolute vult ne fiat.

§. 99. Quod obijcitur, voluntatem posse ferri in obligationem, & non in rem ipsam, quia sunt obiecta distincta, est falsum: quia obligatio, quamuis est distincta, non se tenet ex parte obiecti: & quamuis se teneret, esset quidem distincta, sed in amore inseparabilis: quia consequitur ad rem absolute volitam. Quando ergo Superior dicit, *Volo vt omnes teneantur parere*, perinde est, ac *Ita volo rem præceptam, vt nullus absque peccato illam prætereat*. Hic autem actus est obligatio ipsa: qui eo ipso quòd est titulo iurisdictionis, constituit actus oppositos subiectorum in specie inobedienciæ. Idem dico de donatione, quæ ita prohibet alijs vsum rei donatæ contra voluntatem donatarij, vt illi vsus sint peccatum: quia verò sunt contra illam voluntatem, constituuntur in specie iniustitiæ: hominem autem non posse vti equo inuito Petro sine iniustitia, dicitur esse obligationem ad abstinentiam ab eo vsu: cum tamen obligatio sit formaliter actus donandi aut contrahendi. Idem dico de

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

obediencia. de usurario autem dicam §. 102.

§. Thom.

§. 100. Vt autem respondeam argumento ex §. 90. pono omnia peccata esse absolute contra voluntatem Dei. Primum in opinione indicata §. 91. est certum: quia Deus directè solùm odium exercet circa peccatum. Secundò, ponamus actum de se non efficacem, sed aliquo pacto conditionatum. Hic actus non reddit peccatum voluntarium Deo absolute, sed secundùm quid: quamuis enim Deus efficaciter non vult id non esse; at hæc efficacia pendet ex scientia media, & nostro arbitrio. Non enim admitto circa opera libera voluntates Dei efficaces ex se: difficile enim vendicaretur Deus à voluntate absoluta de peccato: voluntas autem quam Deus habet de concursu ad peccatum, est quasi conditionata. Deus igitur verè non vult peccatum, & quando peccatum admittitur, fit absolute contra eius voluntatem, & ex eius voluntate secundùm quid. Ob quod Christus nos docuit orare vt Dei voluntas fieret in terra non aliter ac in cælis. quòd si peccata non essent contra voluntatem Dei, non esset opus ea oratione, quia non posset fieri voluntas Dei in terra sicut in cælis. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, dicit Apostolus. vnde peccatores discedunt absolute à voluntate Dei. *Quia non Deus volens iniquitatem tu es*. In qua sequèda non solùm quando præcipit, sed etiam quando consulit, sita est nostra moralis perfectio: est igitur Deus non volens iniquitatem, & diligens iustitiam.

§. 101. Rationem reddidi in prædestinatione: quia Deus nostram salutem æternam & virtutum exercitia vult ex se actu complacentiæ, sine inuoluntario admixto: cuius voluntas mouetur & bonitate sua increata, simul & creata virtutum; quas non modò vult, sed etiam nobis suadet consilio & auxilio: ob quod absolute & pleno ore Deus diligit iustitiam. quia quando aliquid volumus vt fiat, & ad id aliquem hortamur, & fouemus opibus, illud absolute volumus: quamuis actu non efficacem de se; est tamen efficax ad præbenda omnia necessaria vt fiat. è contra verò peccatum non vult absolute; sed potiùs absolute illud odit, & absolute vult ne fiat, & ad id hortatur, præbet que vires. parat autem concursum ad illud, non vt fiat, sed vt compleat potentiam creatam, iuxta ipsius potentiæ leges. Quod explicari potest exemplo hominis, qui vt fugiat maiora damna, offert de suis bonis. quæ oblatio est admixta inuoluntario: non enim offeruntur bona, nisi quia non possunt alia ratione maiora damna vitari. Eadem ratione quia Deus non potest aliter seruare leges arbitrij creati, nisi illud complendo ad libertatem contrarietatis; ideo parat concursum indifferentem ad bonum & malum: & est suo more tam inuitus in concursu actuali ad peccatum, quam nauta ad proijciendas merces, quando aliter non potest vitam tueri. Imò nauta est minùs inuitus, quia actu absoluto proijcit merces: qui actus reddit actionem absolute voluntariam: Deus autem numquam concurrat ad peccatum actu absoluto, sed potiùs æquiualeuter conditionato: nec enim expectat nostram actionem vt conditionem absolute præuisam, sed eodem actu conditionato concurrat. Fateor pœnas infligi à Deo magis voluntariè, quam concurrat ad peccatum. quia peccato præuiso absolute, decernit etiam absolute, & actu de se efficaci pœnas: at

I num.

*s. Thom.
q. 1. art. 2.*

numquam habet talem actum in concursu ad peccatum: sed semper actum æquivalenter conditionatum, cum consilio & exhortatione ad oppositum. Nec propterea dico Deum aliquid à nobis pati, sicut patiuntur inuiti: hæc enim accipienda sunt seclusis imperfectionibus: sicut excluduntur à displicentia Dei de peccatis, à dolore, & alijs affectibus, quibus significamus perfectionem Dei sine imperfectione.

§. 102. Hinc oritur iniustitia in Deum, qui absolute eam patitur contra suam voluntatem: scienti & volenti non fit iniuria: quando vult sine inuoluntario admixto, orto ex parte inferentis iniuriam. Quod patet in solvente vsuras, qui quamuis eas reddit actu absoluto & efficaci de se; tamen eas reddit cum inuoluntario admixto, & ad vitanda damna, quæ non potest aliter vitare propter duritiam vsurarij, à quo cogitur. Idem patet in contractibus coactis & inuitis, vt qui pecuniam spondit prædoni ne ab illo occideretur. Est igitur necessaria voluntas non coacta ab inferente iniuriam. Ita Deus quasi cogitur legibus nostri arbitrij ad parandum concursum indifferentem ad bonum, & ad malum. Neque verò opus est coactione: satis enim est habere causam honestam, ad non vitandam occasionem, quando maius bonum non possumus alia ratione obtinere: vt patet in Martyribus. Quòd si hoc argumentum ex §. 90. aliquid probaret, probaret etiam non esse inobedientiam in Deum, nec ingratitude: quia Deus sciens & volens concurrir ad actum, qui est inobedientia & ingratitude: & vt scienti & volenti non fit iniuria, ita nec inobedientia, nec ingratitude.

SUBSECTIO III.

Utrum teneamur Deo satisfacere pro iniuria?

§. 103. **T**ertio tandem, probare quis poterit, non posse Deo iniustitiam inferri: quia si eam inferremus, teneremur ex iustitia illi euestigio satisfacere: sed non tenemur: ergo. Minor constat, quia non tenemur ad confessionem Sacramentalem nisi certis temporibus: ad contritionem autem non tenemur cum primùm cessauimus à peccato: alioquin noua peccata committeremus omissione contritionis. Maior probatur, quia lex iustitiæ obligat ad constituendam æqualitatem cum primùm possumus: quia inæqualitas dum perseuerat, obligat semper ad actum quo tollatur. Quòd confirmatur, quia inter homines obligat restitutio & satisfactio, cum primùm possumus.

§. 104. Censebit quis nullum ex iustitia teneri ad satisfaciendum Deo, quia ipse potest quàm facillimè se restituere in integrum statum extrinsecum: iustitia enim obligat, quando qui passus est damnum, non potest facillimè illud reparare. Si enim ego diripui centum aureos Antonio, & ille potest eos recuperare; non teneor illos restituere, quia moraliter censentur esse in eius bonis.

§. 105. Contra: Ergo nullum peccatum est iniustitia in Deum: quòd ipsi negant. Probo consequentiam, quia tam facile est Deo retinere honorem ne auferatur, quàm ablatum reintegrare: ergo, vt compensatio non obligat ex iustitia, ita nec non auferre. Antecedens est clarum, quia potuit Deus facillimè efficere ne peccaretur, nec malè de

ipso Deo sentiretur. Consequentiam probo, quia facilitas in redintegrando amore excusat ab obligatione iustitiæ: ergo eadem facilitas in eodem retinendo excusat ab eadem obligatione. Quia tam censetur esse in bonis Dei retentio honoris, quàm redintegratio: item si homo excusatur ab obligatione restituendi nummos, quos dominus potest facillimè recuperare; quia qui eos non recuperat potens recuperare, indicat se eos nolle: ita excusabitur ab iniustitia qui eos accipit ab illo qui eos potest facillimè retinere; quia qui potest, & non retinet, indicat se eos nolle.

§. 106. Dicent, negandam esse primam consequentiam: quia Deus hic & nunc exigit actum bonum titulo dominij; qui actus erat in numero exercendus, neque poterat alius hic & nunc oriri: ob quod vsus illius auxilij iniustus fuit: vt verò satisfactio obliget, opus est vt malum permaneat cum difficultate patientis ad recuperationem. Contra: Ille numero actus potuit à Deo hic & nunc quàm facillimè esse, quia in aduersariorum sententia ille numero esse posset variatà cogitatione, quàm facillimè potuit variare: & quamuis mutatà cogitatione mutatur necessariò voluntas, adhuc potuit Deus facillimè efficere, vt illa numero cogitatio, quæ congrua non fuit, esset congrua: vidit enim per scientiam mediam Petrum in alijs occasionibus extrinsecis lætitiæ aut tristiæ, aut, si temperatura corporis esset paululum mutata, eum conuersum iri cum iisdem numero auxilijs & cogitatione: quia illæ occasiones non sunt principium per se conuersionis: si enim Petrus animo esset pacatiore, consentiret Deo vocanti per hanc numero cogitationem: dissentiret autem propter passionem. Igitur Deus posset facillimè iisdem numero principijs per se conuersionis illam efficere: ergo peccatum illud non fuit contra iustitiam. Consequentia patet ex ratione aduersariorum. Hoc argumentum soluetur §. 111.

§. 107. Præterea ille numero actus, qui contra legem Dei fuit omissus, potest à Deo præcipi in compensatione omissionis: ergo tenebimur ex iustitia satisfacere. Consequentia patet, quia per vsus auxilij est iniustus, quando omittitur actus ad quem datur: omitteretur autem, si non cooperaremur. Antecedens probo: quia potuit Deus iterum parare eadem numero auxilia quæ prius, vt illis exerceremus actum eumdem numero, quem per illa poteramus prius exercere.

§. 108. Alij censent nos non teneri ex iniustitia ad compensationem honoris: quia Dei parum interest ea iniuria, neque amisit aliquid vtile. Contra: Ergo neque peccatum est iniuria in Deum: quia illius parum interest, neque amittit aliquid vtile. Hanc autem rationem examinaui & impugnaui à §. 83. contra P. Valquez.

§. 109. Vt respondeam argumento ex §. 103. præmitto, posse ex nostro peccato nullum relinquere damnum famæ & gloriæ extrinsecæ Dei: id est, nullam malam opinionem de Deo. Tunc non tenemur ex iniustitia satisfacere: vt dicam à §. 131. quia iniustitia non obligat ad satisfactionem, nisi ratione damni relictæ. Probatur Primò, ab exemplo restitutionis: potuit aliquis esse iniustus in bonis alterius, & non teneri ad restitutionem, quia nullum damnum datum fuit. Secundò, probatur ex iniuria in honorem: si enim aliquis alteri irrogauit iniuriam, peccauit contra iustitiam, at non

tene-

teneretur ex iustitia ad satisfactionem si nullus concepit opinionem malam de illius honore. Tertio, à priori, quia satisfactio est ad tollendam in honore inæqualitatem iniustam. Hinc patet ad argumentum ex §. 103. distincta Maiori: tenetur ad satisfaciendum, quando relinquitur damnum, concedo Maiorem; quando non relinquitur, nego Maiorem. Ad probationem respondeo, ad satisfaciendum in eo euentu non esse necessariam contritionem, aut confessionem Sacramentalem, sed sufficere ut alij deponant malam opinionem de Deo conceptam. Ut verò satisfiat pro peccato, ad illud depellendum, & obtinendam gratiam iustificantem, opus est contritione aut confessione Sacramentali, qua ratione definitum est in Concilio Trident. quæ per se non obligant immediatè post peccatum.

§. 110. Potest inquiri, cur actio sit contra iustitiam quando non relinquitur nocumentum? Respondeo, quia est vsus rei alienæ inuito domino: neque enim opus est ad iniustitiam ut sic, aliud damnum. Ut si ego inuito domino vtor equis per diem integrum, nullo relicto damno, pecco contra iustitiam, nec teneor ad restitutionem: peccaui quidem, quia vsus fui re aliena inuito domino; non teneor autem restituere, quia nullum damnum relictum est domino. Ita pecco contra iustitiam quando mentior contra honorem alterius; si tamen nullus sibi persuasit mendacium, iustitia non me obligat ad satisfaciendum. Ita si quis mentitur contra honorem Dei, peccaret contra iustitiam debitam Deo; at non teneretur satisfacere, si nullus sibi persuasisset mendacium. Eadem ratione posset aliquis dicere, aliqua peccata esse per se iniustitiam in Deum, quia sunt vsus rei alienæ inuito domino: & non teneri qui peccat ad satisfaciendum, quia Deo nullum damnum relinquitur.

§. 111. Si verò ex meo peccato mansit mala opinio de Deo, tunc teneor ex iustitia satisfacere cum primùm possum. Ex grat. Antonius dixit Deum esse iniustum aut crudelem; idque persuasit Francisco: Antonius ex iniustitia tenetur satisfacere Deo cum primùm potest, & dare operam ut Francisco dissuadeat blasphemiam, quam persuaserat. Probatur Primò, quia ex iniustitia tenemur reddere unicuique quod suum est, & quod contra rationem illi abstulimus: sed honor est Dei, & contra rationem illum abstulimus Deo inuito: ergo ex iniustitia tenemur illum reddere. Confirmatur ex humanis: quæ nos obligant ad restituendum honorem iniuste & contra voluntatem domini ablatum. Neque vrget quod obiectum est §. 106. Deum facile posse suum reparare honorem: quia potest nolle illud genus reparationis: quia Deus vult, ut per eum reparetur honor, per quem fuit imminutus. hæc enim ratio spectat ad integritatem satisfactionis, iustique naturæ, ut subiiciatur ille qui intulit iniuriam, quod inter nos sæpè contingit.

§. 112. Alio ex capite solet optignari obligatio satisfaciendi: quia non possumus reddere Deo æquale. & quidem in honore adempto possumus æquale reddere: nam si tu mihi persuasisti Deum esse crudelem, si iterum mihi persuadeas illud vitium in Deum non cadere; reddidisti tantum honoris quantum blasphemiam abstulerat. Quo pacto extinguitur debitum hoc: iam enim inæqualitas

Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

relicta ex iniuria aufertur: nec ratione inæqualitatis teneor iam ad aliud. Hinc enim non considerantur personæ, sed damna; ut etiam in humanis patet. Vtrum autem teneamur ex iustitia ad satisfaciendum pro offensa Dei, dicam à §. 131. ibi enim locum habet consideratio personarum offensæ & offendentis: item, vtrum possumus ad æqualitatem iustitiæ, iam ostendi disp. 10. non posse à pura creatura compensari iniuriam. Nunc autem inquiri vtrum ex iustitia teneamur ad efficiendum quæ possumus? Nunc dico ratione damni dati nos teneri & posse illud auferre: quando verò non datur damnum, vtrum teneamur, dicam à §. 131.

*S. Thom.
q. 1. a. 2.*

SVBSECTIO IV.

Conclusio.

§. 113. **D**ico igitur, nos posse peccare contra iustitiam in Deum. Hæc doctrina est communissima apud Doctores, quos refert & sequitur P. Suarez disp. 4. sect. 5. & in Opusculis: quæ percrebuit apud neotericos. Ratio à priori, quia Deus est dominus creaturarum, quibus possumus uti illo inuito: ergo possumus esse iniusti in illum. Secundò, quia possumus per blasphemiam adimere Deo honorem extrinsecum: quod est materia iniustitiæ.

S E C T I O VIII.

Vtrum omne peccatum sit iniustitia in Deum?

SVBSECTIO I.

Per accidens potest peccatum non esse iniustitia in Deum.

§. 114. **P**eccata habent aliquid per se, aliud verò per accidens. per se, quando rectè & ut sunt, cognoscuntur; per accidens verò, quando cognoscuntur aliter ac sunt. Hoc contingit dupliciter: Primùm, cum culpa; Secundò, absque culpa. Quando ita cognoscuntur culpate; non excusamur à malitia: sed agitur de illis peccatis sic commissis, per se quidem, & non per accidens. Ex grat. Antonius hominem sagittat illum cognoscens; Antonius est homicida, & agitur de homicidio per se: at verò si hominem ignorat culpate, eumque sagittat; est quidem homicida per se, & agitur de homicidio per se, & non per accidens: quando verò sagittatur homo ignotatus sine culpa; tunc non est homicidium moraliter: & per accidens agitur de illa actione, non ut de homicidio; quia illa ignorantio accidentaria est hominis neci: propterea per accidens extrahitur ab homicidio: actio autem illa externa per se spectat ad iniustitiam, quia cognita ut est, ad illam spectat. Item, ego retineo aliena bona, quæ probabiliter existimo esse mea: retentio per se est in materia iniustitiæ, per accidens autem excusatur. Iacob concumbens cum Lia antequam illam duceret uxorem, actionem exercuit de se incestuosam; quam tamen per accidens excusavit ignorantia.

§. 115. Demus igitur disputandi gratiâ, omne

S. Thom.
q. 1. a. 2.

peccatum esse per se iniustitiam in Deū, quia si rectè cognosceretur, deprehenderetur esse contra ius Dei: at existimer aliquis illud ita non esse. Disputo vtrum per accidens propter ignorantiam hoc peccatum iniustitiæ malitiam amittat: an verò illam etiam tunc retineat?

§. 116. Dico Primò. Potest aliquis probabiliter opinari nullum peccatum esse iniustitiā in Deum. Hæc conclusio satis est clara: quia multi grauesque Doctores, vtraque parte questionis rectè pensata, censent nullam esse iniustitiam in Deum. quorum opinio est probabilis & ab ipsorum auctoritate, & eorum quos pro se afferunt; qui probabiliter pro ea adducuntur: item argumentorum vi, & solutione aduersantium, quæ omnia reddunt probabilem eam opinionem.

§. 117. Dico Secundò. Potest formari dictamen practicum probabile, non admitti malitiam iniustitiæ his peccatis. Probat. Illa opinio est speculatiuè probabilis, vt patet ex §. 116. ergo etiam est probabilis in praxi. Probo consequentiam, quia tota probabilitas speculatiua eius opinionis est ad praxim, in qua nullum habet absurdū magis quàm speculationem. Sunt aliquæ opiniones speculatiuè probabiles, periculosa tamen in praxi propter periculū. Ex. gr. probabile est speculatiuè typham esse materiam Eucharistiæ, hoc syllogismo: *Omne triticum est Eucharistiæ materia: sed typha est triticum: ergo typha est Eucharistiæ materia.* Hæc conclusio est probabilis ex maiori propositione certa, minori autem probabili: at in praxi opinio est periculosa, quæ nisi in extrema necessitate, non potest absque peccato in praxim deduci, propter periculum non conficiendi Christi corpus in Saero faciendo: quia probabile est typham non esse triticum: nec possumus exponi periculo non conficiendi Christi corpus. Item, censent aliqui Missam vnam posse offerri pro multis, quorum singulis tantum proficiet, quantum si pro vno tantum offerretur. Hæc opinio admittatur probabilis speculatiuè disputandi gratia: at in praxi est periculosa, quando sacerdos eleemosynam accipit pro faciendo Saero: quia multi exponuntur probabilis periculo earendi fructu applicationis Missæ. Item, est probabile aliquando, animal quod longè video, esse brutum & non hominem, quod tamen non possumus licitè sagittare: quia cum etiam sit probabile, illud esse hominem, non possumus exponi periculo probabili interficiendi hominem. Cū ergo hæc opinio de qua disputo, sit speculatiuè probabilis, & in praxi non habeat nouum incommodum, potest formari dictamen practicum de illa.

§. 118. Dico Tertio. Per accidens excusari possunt omnia peccata à malitia iniustitiæ in Deum: licet per se essent iniustitia. Patet ex dictis: dictamen practicum probabile aufert malitiam actionis circa quam versatur: sed est dictamen practicum probabile, quod nullum peccatum est iniustitia in Deum: ergo potest adimi ab omni peccato malitia iniustitiæ in Deum. Maior est certa, tum à priori, quia malitia est voluntaria: voluntarium autem sine cognitione esse non potest, ob quod circumstantia ignorata sine culpa non auget malitiam, vt latè probaui disputans de voluntario. tum à simili, quia si ego formo dictamen probabile practicum in materia iustitiæ inter homines

aliorumque virtutum, excusor à peccato cum scientia probabili, in sensu explicato §. 117. Iacob enim excusatus fuit ab incestu cum Lia, qua vsus est pro vxore cum verè vxor non esset.

§. 119. Obijcies: Iniustitia est tam intrinseca peccato, vt non possit illa carere: ergo omne peccatum habet malitiam iniustitiæ in Deum. Probo antecedens. quia qui peccat, iam se projicit ad omnia quæ sunt annexa peccato. Confirmatur. Qui se committit itineri, se exponit omni itineris periculo. Quo argumento censent aliqui, nullum peccatum esse posse, quin sit iniuria Dei latè accepta: quia qui violat legem naturæ, se projicit ad omnia quæ illa violatione continentur: inter quæ primum locum tener legislator. Respondeo, omne peccatum à me nunc admitti disputandi gratia esse per se iniustitiam in Deum; non verò per accidens. Probatio minimè est probanda: quia nulla circumstantia inculpate ignorata excusatur à malitia. Iacob concubens cum Lia se proiecit ad materiam incestus, qualis fuit ille concubitus: & tamen non peccauit, sed potius exercuit actum iustitiæ conjugalis, quia probabiliter censuit feminam illam esse Rachelem coniugem suam. Pone hominem existimantem matrem suam aut sororem esse vita sanctas, aut tam longè distantes vt non posset illas præsentibus habere: pone item eum hominem cum hac cognitione probabili concubere cum sorore existimantem illam esse scortum commutæ. Vel finge scortum esse sororem amafij quod illi nunquam venit in mentem, quia de illa sorore nihil audiuit: hic est fornicarius, & minimè incestuosus, quia formauit dictamen probabile practicum quod femina illa non esset eius soror: ergo non peccatur illo genere malitiæ quæ probabiliter ignoratur dictamine practico. Ratio à priori, quia non exponimur periculo amplectendi malitiam circa obiectum aut circumstantiam probabiliter ignoratam: quia voluntas non censetur amare nisi quæ cognoscit aut ignorat culpate: quæ autem sine culpa ignorat, non spectant ad rationem malitiæ: quia voluntarium pendet à cognitione vel ignorantia culpata. Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem, respondeo voluntatem non se projicere vltra ea quæ cognoscit vel ignorat culpate, quia non se projicit nisi volendo: at non vult nisi cognoscendo, aut ignorando culpate (in quo iam supponitur alia cognitio.) Ad confirmationem, respondeo exempla physica esse inutilia huic scopo: quia propter physicam connexionem non possunt separari: at verò, quæ possunt cognitione separari, possunt & malitia, quia hæc à cognitione pendet. Concubitus Iacob cum Lia non potuit physicè separari à circumstantia consanguineæ, carentis matrimonio cum ipso Iacob: at separatus fuit moraliter in malitia, quia separatus etiam fuit cognitione.

SUBSECTIO II.

Aliqua peccata non sunt per se iniustitia in Deum.

§. 120. Dico Quarto. Aliqua peccata non sunt per se iniustitia in Deum: id est, quamuis apertè cognoscantur vt sunt sine vlla fallitate, adhuc

adhuc non sunt in materia iniustitiæ in Deū. Hæc doctrina est P. Vasquez & plurium auctorum, qui omnibus peccatis negant hanc malitiam: item est aliquorum, qui eam malitiam iniustitiæ admittunt in aliquibus peccatis, quam tamen negant in alijs.

§. 121. Probatur. Deus potuit aliqua à nobis exigere titulo iurisdictionis dumtaxat, & rectæ administrationis, quin titulo dominij, qui titulus nō est à nobis adhibendus, nisi de illo constet aperte: sed in multis peccatis non constat aperte de hoc titulo: ergo in multis peccatis non est per se iniustitia in Deum. Maior probatur, quia vitandæ sunt, quoad possunt, omnes circumstantiæ peccatorum, ne Deus grauius offendatur, & homines grauioribus obstringantur sceleribus. Confirmatur exemplo ciuili: prætor potest præcipere ne quis nocte vagetur per urbem; quæ lex obligat mancipia prætoris: cuius legis violatione mancipia peccant quidem contra obedientiam; at non contra iustitiam in dominum, quia is non præcepit mancipijs ne vagarentur per urbem, titulo dominij, sed solo titulo iurisdictionis. Minor patet: quia nec Scriptura, neque Sancti docent Deum semper agere nobiscum titulo dominij.

§. 122. Obijcis Primò: Deus in præceptis vitur sæpè hac voce: *Ego Dominus: Hac dicit Dominus.* Item, *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* Respondeo, Deum ibi se appellare dominum, non vt titulo dominij exigat ea opera, sed vt homines moueat ad reuerentiam & timorem. propterea dixit: *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* Non dixit, Cur mihi non obceditis exigenti opera titulo dominij? sed, Quare me non timetis? est enim proprium seruorum metuere dominos.

§. 123. Obijcis Secundò: Deus habet ius iustitiæ, vt nullus ei irroget iniuriam, vt vir princeps gaudet eodem iure. Respondeo, eo argumento probari potius omne peccatum esse contra religionem, non contra iustitiam: dignitas enim viri principis cultum terminat potius quàm iustitiam: ita excellentia diuina terminat religionem: sed nō esse contra religionem omne peccatum, probaui disputans de peccatis. Neque item omne peccatum admissum coram viro principe est eius iniuria nec strictè, neque latè.

§. 124. Dicò Quintò. Omnia peccata quæ sunt per se occasio vt aliquis malè opinetur de Deo, sunt per se iniustitia: quia lædunt honorem Dei, quod est bonum eius extrinsecum quod nullus potest detrectare inuito domino. Confirmatur, quia inter homines admittitur iniustitia illicita læsione iuris alieni: quod obseruaui § 87.

§. 125. Posset Deus titulo dominij interdicere nobis omnia peccata, ne eo inuito vteremur ipsius bonis: tūc omnia peccata essent iniustitiæ. Quemadmodum, qui inuito domino vritur equo alieno, peccat contra iustitiam: at re ipsa titulo dominij solum interdixit peccata recentia §. 124. quia illa per se lædunt extrinseca Dei bona.

SECTIO IX.

Vtrum Deus acquirat in nos nouum ius ratione peccati?

§. 126. **M**ulta hinc solent disputari, quæ breuiter explano. Primùm, manet in Deo

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

nouus titulus iustitiæ, verumque ius ad exigendam satisfactionem honoris læsi, quando de Deo relicta est mala opinio, vt dixi §. 111. Ratio est, Prima, quia nos tenemur ex iustitia satisfacere, aut ratione rei acceptæ, aut iniustæ acceptionis: ergo est in Deo ius petens eam satisfactionem. Secunda, quia in nobis ita contingit. Tertiò, à priori: quia ex iustitia tenemur reddere vnicuique ius suum. Hic titulus non est in Deo proximè & formaliter antequam ea peccata admittantur: quia compensatio honoris læsi essentialiter pendet à læsione ipsius honoris.

§. 127. Secundò, manet in Deo nouus titulus ad infligendam pœnam pro peccatis, quia iudex & dominus supremus habent ius ad puniendos improbos: qui titulus est fundamentum iustitiæ vindicatiuæ. ratione huius iuris tenemur agere quæ Deus voluerit vt agamus, item & pati. Hoc ius non erat formaliter ante peccatum commissum: quia quamuis Deus potest creaturas vexare independentè à peccato; at nisi dependentè à peccato punire non potest. Quia pœna supra vexationem habet denominationem extrinsecam à peccato & voluntate iudicis eam infligentis propter peccatum commissum. In sententia negante posse hominem à Deo æternùm vexari absque ipsius hominis peccato, Deus ratione peccati acquirat potestatem hominem afficiendi æterno dolore. Ab illa autem sententia sunt Aureolus in 1. dist. 41. art. 1. in impugnatione S. Thomæ, P. Molina in 1. part. quæst. 23. art. 3. vers. *Aduertendum tamen*, & alij.

§. 128. Aduerte, titulo iustitiæ commutatiuæ nō posse exigi à Deo nisi compensationem honoris adempti, quæ potest esse ad æqualitatem, cuius memini §. 111. & §. 124. quia mala opinio de Deo concepta propter blasphemiam potest compensari sententia vera de bonitate Dei, vt dixi §. 109. & 111. At verò titulo iustitiæ vindicatiuæ potest Deus exigere quicquid à nobis potest fieri & sustineri, qua ratione potest, quia delictum graue est dignū pœna infinita, quia est grauis iniuria Dei, iniuria (inquam) latè. Et quemadmodū iudex ultra damni illati compensationem, exigit plus pœnæ proportionalitate delicti: ita & Deus posset exigere, nisi delicta graui mererentur omnem pœnam. Honoris compensatio debetur cum primum potest, quando relicta est noua mala opinio de Deo, tametsi non exigatur nouè: quia inæqualitas perseverans semper obligat vt tollatur: propter cætera delicta non tenemur ex iustitia aliquid agere aut pati, nisi exigatur à Deo: quia nullus tenetur ex iustitia pœnam soluere nisi exactam, alijs autem titulis tenemur pœnitentiam agere, tam præcepto de confessione quàm charitatis propriæ.

§. 129. Post peccatum est etiam in Deo nouus titulus iustitiæ ad exigendos actus voluntatis dependentes essentialiter à peccati existentia, ex. gr. contritionem & similes. Hic titulus ante existentiam peccati non erat proximè & formaliter in Deo: quia non potest exigi contritio de proprio peccato, nisi à peccatore. Erat autem in Deo radicaliter titulo creationis & gratiæ auxiliantis. Huic legi tenemur ex iustitia satisfacere, si Deus exigat ratione dominij eos actus: quia tenemur vt re aliena ex voluntate domini. quod commune est his actibus, & cæteris alijs. At non tenemur hac legatione peccati commissi, nisi honor sit ademptus

S. Thom.
9. 1. a. 2.

ptus per blasphemiam, ut dixi §. 124. Si enim honor manet laesus, tenemur illum reintegrare; licet non sit nouum praeceptum: si verò honor Dei non manet laesus, non tenemur ex iustitia ad illos actus, nisi exigantur titulo dominij.

§. 130. Non video alium titulum nouum relictum ratione peccati. Igitur qui negaret compensationem honoris per blasphemiam adempti, peccaret in Deum contra iustitiam commutatiuam, ut qui negaret homini compensationem honoris adempti: qui verò negaret poenam inflictam à Deo, ex. gr. si Deus illi praeceperet ut audiret Sacrum, peccaret contra iustitiam vindicatiuam: & hæc quidem contingunt ratione peccati, ratione cuius non manet alia obligatio noua: nec enim in humanis tenemur ad inurbanitatem compensandam, nisi ratione iniustitiæ aut scandali.

SECTIO X.

Utrum ex iustitia teneamur satisfacere Deo?

§. 131. **N**on ago de satisfactione honoris per blasphemiam adempti: iam enim à §. 111. dixi nos ad illam teneri ex iustitia, licet non exigatur nouè: ago autem de obligatione satisfaciendi pro peccato, ut est iniuria late accepta. Dico igitur Primò, nos non teneri ex iustitia satisfacere pro hoc genere peccatorum. Aliqui probant, quia satisfactio ex iustitia debet esse talis, ut debitum extinguat, aut in toto, aut in parte: sed nullus actus puræ creaturæ potest extinguere debitum peccati mortalis nec in toto, nec in parte: ergo nulla pura creatura tenetur ex iustitia satisfacere pro peccatis. Maior est certa, quia satisfactio ex iustitia est ad tollendam inæqualitatem relictam per iniustitiam: munus enim iustitiæ est tollere inæqualitatem, & constituere omnia tam æquali lance, ut singuli habeant quod suum est. Quod fieri non potest, nisi per satisfactionem iustitiæ debitum tollatur in toto, aut in parte. Minor autem probatur, quia nullo actu puræ creaturæ potest remitti peccatum mortale quoad culpam: non in toto, quia peccatum est incompensabile per nostros actus, ut dixi disp. 9. non in parte, quia culpa non æstimatur per partes, quarum aliqua remittatur cæteris manentibus. quo differt à restitutione centum aureorum: si enim quis non habeat nisi vnum, tenetur illum restituere: quo restituto non manet integrum debitum. Confirmatur, quia Deus habet ius ad satisfactionem infinitam, quia habet ius, ut auferatur inæqualitas: cui iuri nulla pura creatura tenetur satisfacere, quia non potest: ergo.

§. 132. Respondeo, hoc argumento non probari, non esse iustitiam nostri ad Deum, neque obligationem. Primùm, quia homo iustus potest ad æqualitatem satisfacere actibus charitatis pro peccato veniali, & totum eius debitum extinguere: ergo potest esse obligatio iustitiæ ad satisfaciendum. Secundò, qui dicunt actum charitatis posse satisfieri pro tota iniuria mortali, non possunt eo argumento vri.

§. 133. Secundò, quæuis homo non possit satisfacere ad æqualitatem formaliter & immediatè proprijs actibus: at potest dispositiue per illos tollere illam

inæqualitatem, & extinguere integrum debitum: ergo tenetur ex iustitia id præstare. Antecedens patet, quia per actus supernaturales potest vltimò disponi ad obtinendam gratiam sanctificantem, per quam tollitur formaliter iniuria Dei, & tota inæqualitas. Consequentiam probò, quia quando aliquis immediata sua actione non potest extinguere formaliter debitum, potest tamen dispositiue, tenetur ex iustitia illam exercere. ex. gr. potest mouendo manum apprehendere pecuniam, illaque soluere debitum, tenetur manum mouere: item, si non potest reintegrare se ipso alienum honorem, potest tamen suis actibus impettare vim ad reintegrationem; tenetur ex iustitia dare operam ad obtinendam vim illam qua honor reintegretur.

§. 134. Tertiò, quia Deus habet ius ad aliquas actiones, quæ aliquo pacto pertinent ad compensationem iniuriæ: non tamen habet ius ad exigendam æqualem satisfactionem: ergo tenemur ex iustitia actiones illas exercere. Consequentia patet, quia ius alienum contractum ex nostra iniuria nos obligat, ut illi satisfaciamus, ut patet in iniuria restitutionis & satisfactionis: obligatio autem orta ex iure pertinet ad iustitiam. Antecedens probò, quia Deus non habet ius ad impossibile: est enim ius titulus ad exigendum aliquid: quod autem impossibile est absolute, non potest exigi vlllo titulo: potest autem Deus exigere à nobis multa signa doloris, quæ in parte spectant ad satisfactionem. Quis enim dicat Deum nihil à nobis posse exigere eo præcisè quòd non possit exigere æqualem satisfactionem? quidquid autem potest Deus exigere, potest etiam à nobis præstari.

§. 135. Ad argumentum ex §. 131. respondeo Primùm, in peccatis venialibus falsam esse Minorem. Respondeo Secundò, distinctà Maiori: satisfactio debet esse talis, ut debitum extinguat formaliter aut dispositiue, concedo Maiorem; solùm formaliter, nego Maiorem. Idem dico ad Minorem, nostra opera possunt extinguere totum debitum dispositiue, quibus dispositiue peccata sint compensabilia, id est, extinguibilia. Tertiò respondeo, nos posse extinguere debitum non immediatè iniuriæ, sed aliorum actuum, quos Deus potest à nobis exigere.

§. 136. Ratio à priori conclusionis in §. 131. est, quia Deus transfactà illà iniurià non habet nouum titulum iustitiæ ad nostros actus: ergo nos ratione iniuriæ non tenemur ex iustitia illos exercere. Consequentia patet, quia vbi in altero non est ius, non est in alio obligatio iustitiæ. Antecedens probò Primùm, quia multa peccata non fuerunt iniustitia strictè; ac propterea non relinquunt strictum ius. Secundò, quia licet aliqua fuerint iniustitia strictè, ut blasphemiam, nulla tamen damna relinquunt, quæ compensentur. obligatio autem abolendi peccatum oritur ex alijs titulis. Hæc non obsunt quo minus titulo iustitiæ vindicatiuæ Deus à nobis possit exigere actus in poenam: tunc teneremur illo titulo. item si Deus titulo dominij eos exigat actus.

§. 137. Rogas, vtrum à gratiarum actione possit argumētum afferri: exercemus gratiam, seu gratitudinem, cum inæqualitate gratiæ ac beneficij: ergo & iustitiam. Negari potest consequentia: quia obiectum formale gratiæ, siue gratitudinis, est significare beneficium acceptum, & eius recognitionem:

tionem: sic enim homo est gratus: remunerari autem ad æqualitatem est effectus secundarius, quando possibilis est remuneratio; si autem est impossibilis, non propterea homo est minus gratus. Christus autem egit condignas gratias ratione suppositi: quævis enim humanitas Christi non est capax aliorum habituum, quàm nostra; at in sensu composito suppositi potest multos actus exercere, qui nostris humanitatibus repugnant in sensu diuiso eiusdem suppositi. videns ergo humanitas Christi sua opera esse posse condignam satisfactionem pro iniuria, potuit ex virtute satisfactricæ ad æqualitatem velle satisfacere; nos autem in sensu diuiso vnionis hypostaticæ id non possumus: tamen nostra opera sunt satisfactio pro pœna, quando exercentur ab homine iusto: item sunt satisfactio congrua, & ex pacto, pro culpa.

SECTIO XI.

Vtrum hæc iustitia sit distincta à religione & pœnitentia?

SUBSECTIO I.

Nonnulla præmitto.

§. 138. **P**ossumus agere de virtute satisfactricæ pro iniuria strictæ; quæ est læsio honoris. item de satisfactricæ pro iniuria laræ. Censeo in nobis esse virtutem specialem satisfactricam adæquatè pro iniusta læsione honoris Dei: quæ virtus sit distincta à charitate, religione, pœnitentia & alijs. Probatur à priori, vbi est obiectum formale speciale distinctum ab obiectis formalibus aliarum virtutum, & amabile per se, datur virtus distincta specialis circa illud: sed reparare Dei læsum honorem, est obiectum per se amabile, item est distinctum ab obiecto aliarum virtutum, & potest esse obiectum formale: ergo est circa illud virtus specialis & distincta. Minor videtur per se nota: si enim reparatio honoris humani est per se amabilis, multò melius erit per se amabilis diuini honoris instauratio. est item ea instauratio consentanea naturæ intellectuali Dei: est enim bonum illius extrinsecum: bonum (inquam) non vtile, nec delectabile, sed honestum, quod est per se magis amabile. Si autem est amabile per se, potest esse obiectum formale: quod nihil aliud est quàm quod per se potest cognosci vel amari. Esse autem distinctum obiectum, probatur: quia est ab alijs separabile: possunt enim esse peccata quin relinquunt hanc inæqualitatem; peccatum autem eam volens est distinctum à cæteris. Confirmatur. Obiectum charitatis est Deus secundum se, qui distinguitur à suo extrinsecò honore: obiectum pœnitentiæ est in ordine ad dolorem de peccatis; quia sunt offensa Dei, & connotat opera pœnalia: læsio autem honoris, & eius instauratio, sunt ab his distincta, quia sine dolore possumus ad æqualitatem honorem reparare; sicut sine dolore possumus restituere. Ratio à priori, quia honestas cõstituendæ æqualitatis in bonis externis Dei nos potest mouere, sicut mouet ad constituendam eam æqualitatem inter creaturas. Religio autem non relaricit hanc inæqualitatem honoris, sed exercet signum supremi dominij Dei,

quod posset aliquis recognoscere non volens instaurare honorem Dei, vt patet etiam inter nos. *S. Thom. q. 1. art. 2o.*

§. 139. Hæc virtus est eadem cum virtute inclinante ad non peccandum, ne violetur ius Dei: quia ad eandem virtutem spectat amor in bonum, & odium in malum illi oppositum: cum igitur odium de violato honore Dei, sit odium in malum, quærendum est bonum oppositum quod primò ametur. Hoc autem obiectum est conseruatio honoris Dei: igitur circa ius Dei in suum honorem est quædam iustitia specialis, vt est circa ius creatum in eundem honorem. Primus actus huius virtutis, est amor conseruandi, seu non lædendi, ius Dei. Secundus autem est, odium in violationem iuris Dei. Hæc iustitia stricta opponitur blasphemiæ, quia parte blasphemus detrahit honorem Deo, gignens in aliorum mente prauam opinionem de bonitate Dei. Blasphemia opponitur directè religioni, quia est vitium contumeliosum in Deum, cui opponitur cultus: quando verò contumeliæ additur falsum testimonium contra bonitatem Dei, tunc adiungitur iniustitia stricta in Deum opposita virtuti de qua nunc dispuo. Vnde deduces, blasphemiam non esse vnum habitum solium, sed plures oppositos pluribus virtutibus. De blasphemia egi vol. 2. disp. 91. de eius autem oppositione cum virtutibus egi ibid. à §. 41.

§. 140. Est autem hæc virtus iustitiæ distincta specie à iustitia in creaturas. Probatur Primùm ab exemplo charitatis, quæ in Deum est distincta à charitate in proximum: item religio siue latræ distinguitur specie à cultu, siue dulia: quia altera amat honorem Dei, altera creaturarum. Item, gratia, seu gratitudo, distinguitur specie à pietate: quia altera amat beneficia Dei, & propter illa Deum; altera verò beneficia creature, & eam propter illa. Secundò, probatur à priori, quia illæ virtutes habent diuersa obiecta formalia; quia honor Dei eiusque ius est tam distinctum à iure & honore creaturarum, vt terminent diuersas virtutes.

§. 141. Quod si habemus virtutem volentem satisfacere ad æqualitatem pro iniuria & grauitate peccati, & volentem exhibere quantum possumus, & exercentem actus conditionatos satisfaciendi ad æqualitatem, si possemus; hæc virtus esset idem cum illa: quia eius obiectum adæquatum esset ius Dei, à qua virtute oriretur dolor de violato iure Dei: sicut oriretur actus conditionatus satisfaciendi si posset.

§. 142. Quia verò ego existimo hanc virtutem non posse esse in pura creatura, cui impossibilis est illa satisfactio, quærendum est per quam virtutem peccata doleamus, siquidem non est iustitia strictè accepta. Quæ hinc perstringam, non disputabo passis velis.

SUBSECTIO II.

Quid de questione:

§. 143. **A**C primùm potest hic dolor oriri ex diuersis virtutibus propter earum formale obiectum. Ex charitate, ob complacentiam in Deum, quæ impellit ad procuranda extrinseca bona Dei, & auertenda mala: vt quotidie cernimus inter amicos. Ab spe potest oriri; quia dolemus de peccato propter amorem in visionem Dei, &

S. Thom.
q. 1. 4. 2.

nostram beatitatem, cui peccatum est impedimento. ex timore seruili, quo dolemus causas cruciatu æterni quem detestamur. Oriri item potest ex pietate, qua volumus grati esse Deo pro acceptis ab ipso beneficijs: ad quam spectat deplorare quæ fecimus contra beneficium. Item oriri potest ex attritione deplorante crimina propter illorum turpitudinem. Volunt aliqui oriri etiam posse dolorem ex religione, qua volumus cultum Dei, quia censent omne peccatum esse contra religionem. Non est quæstio de his virtutibus, quæ certa habent obiecta formalia. Est igitur quæstio de virtute habente pro obiecto formali bonum oppositum Dei malo quod eo dolore detestamur.

§. 144. Ego existimo ad virtutem specialem pertinere facere Deo gratum propter honestatem eius actionis, quæ Deo grata est. Ad quam virtutem spectat displicentia in nostris actionibus, quando sunt ingrata Deo, id est Deo displicentes. Considera bonitatem repertam in actione, per quam filius placeat patri. Hæc bonitas est amabilis à filio propter ipsam: quia omne bonum, qua ratione bonum est, est amabile propter ipsum, dum non amatur ut vile. Sic considero ego actiones nostras placentes Deo, & eas dico esse amabiles propter ipsas virtute speciali. Explico in actu iustitiæ amantem restitutionem bonorum propter bonitatem repertam in reddendo unicuique quod suum est. Hæc actio placet Deo; possum ego illam etiam amare quia placet Deo. Itaque restitutio potest terminare duos actus voluntatis honestos: alterum iustitiæ, propter bonitatem reddendi unicuique sua: alterum huius virtutis specialis, quam disquirio propter bonitatem placendi Deo.

§. 145. Quæ explico ex vol. 2. disp. 156. à §. 14. & disp. 157. §. 1. & disp. 158. §. 2. vbi ostendi obiectum formale eleemosynæ esse leuare alienam inopiam per actiones proprias, in quo reperitur specialis honestas: eleemosyna autem, siue misericordia, non est amicitia cum proximo, quia illum non amat propter ipsum, neque ex amore in illam oritur voluntas eius inopiam leuandi; sed præcisè per illam virtutem amat honestas actionis propriæ in leuanda hominis inopia. Imò contingere potest ut inimicus leuet inopem inimicum, quia licet vellet illum perire, at non vult ut pereat per ipsum: quia specialis turpitudine est in homine pereunte per me, ac in inimicitia. Ut si ego sim socius alicuius, quem vellem non esse inter viuos; & ille impetatur ab inimicis, ego illum defendam ob vitandam infamiam socij deserti; quia licet ego eum vellem perire, tamen nolo ut per me pereat. Eadem ratione possum ego amare meas actiones, & illas exercere propter honestatem quam habent in placendo Deo.

§. 146. Hoc obiectum posse amari virtute speciali distincta à charitate & alijs, probatur. Vbi est obiectum speciale, est etiam specialis virtus, ut constat inter omnes: sed placere Deo per proprias actiones, est obiectum speciale: ergo terminat virtutem specialem. Probat Minor, quia hoc obiectum non est charitatis: quia charitatis formale obiectum est solus Deus: hoc autem obiectum non est Deus, sed actio creata, ut est obiectum diuinæ complacentiæ. Neque obest eam actionem posse per charitatem amari: potest enim ut obiectum secundarium: omnia enim bona honesta a-

mari possunt charitate propter Deum amatum: ut propter amicitiam in proximum, possum ego leuare eius inopiam, & defendere ab inimicis: ac licet non oriatur illa defensio à charitate, potest per se ipsam amari: quia quamuis proximum non amemus, nolimus tamen ut per nos pereat. Quod si hæc virtus cum aliqua erat confundenda, esset cum charitate, cui est valde affinis.

§. 147. Ratio à priori est, quia Deus non solum est dignus ut ametur propter ipsum per charitatem: sed etiam est dignus, ut illi per nostras actiones gratum faciamus. In quibus obiectis duas bonitates reperio, alteram incretam Dei, amabilem propter se ipsam: alteram creatam repertam in actione humana, amabilem etiam propter ipsam, possumusque hanc amare non amato Deo: quia amor in illam actionem oritur non ex amore Dei, sed ex cognitione dignitatis Dei, ut omnes illi placeant. Quemadmodum religio amat cultum Dei, non quia Deum amat propter ipsum; sed quia cognoscimus excellentiam Dei esse dignam nostro cultu, quem possumus exercere etiam cum odio Dei. Quamuis enim possemus aliqua ratione velle ne Deus esset, at ex suppositione quod est, possumus velle illum colere. Quod patet in humanis: mihi potest displicere ut Philippus sit rex, quia est mihi inimicus: at ex suppositione quod est rex, volo illum colere dignè rege. ita potest mihi displicere quod sit Deus; at ex suppositione quod est, volo exercere actiones quæ illi placent, quia ex suppositione quod est, est dignus cui ego placeam. Itaque eum displicentia de existentia Dei, possum ego componere voluntatem de actionibus Deo placentibus. Sicut potest mihi displicere existentia Philippi Regis; at ex suppositione quod est rex, volo facere quæ illi placent. Quæ clarius patebunt ex subsecente sequenti.

SUBSECTIO III.

Obiecta nonnulla.

§. 148. **O**bjicis, hanc virtutem esse charitatem Theologicam: ergo non est virtus specialis à charitate distincta. Probo antecedens, quia charitas Theologica amat complacentiam & beneplacitum Dei propter ipsum: ergo est charitas Theologica. Antecedens à nobis datur. Probat Minor, quia velle actiones placentes Deo quia Deo placent, est velle beneplacitum Dei. Consequentia autem probatur, quia proprium est amicitie velle complacentiam amici. Nego antecedens. Ad probationem respondeo, non esse obiectum formale charitatis actus liberos Dei, qua ratione liberi denominantur, ut dixi volum. 2. disp. 128. §. 74. Vnde constat, charitatem Theologicam esse distinctam ab hac virtute, etiamsi haberet pro obiecto formali actus liberos Dei. Secundò respondeo, actus liberos non esse obiectum formale directum huius virtutis, sed indirectum. obiectum enim formale huius virtutis est actio propria ut est apta ad complacendum Deo: non quod complacentia Dei per se ametur, sed quia per se amatur ut aliquis faciat quod debet in ordine ad complacentiam Dei. Sunt quidem hæc obiecta distincta: quando ego facio aliquid placens Deo, duo considero: Primum est, complacentia Dei, quæ

quæ est in sola volũtate Dei: secundum est, honestas reperta in in ea actione, quam ego exercere teneor lege perfectionis. Hæc honestas est amabilis per se: quia creatura debet efficere, quantum est in se, vt Deo placeat. Hoc obiectum amatur formaliter & directè per hanc virtutem.

§. 149. Quod exemplis illustro: dixi volum. 2. disp. 156. §. 16. & 17. actionem qua potest leuari inopis miseria, esse per se amabilem, quia habet virtutem leuatricem miseriæ, eamque actionem exerceri posse & amari propter ipsam, quamuis odio habeatur homo cum quo exercetur: quia est specialis turpitudine in negando egenti ea quibus eget, & est crudelitas permittere illi necem ei negando necessaria: & potest aliquis odio habere hanc turpitudinem, licet non sit amicus eius cui opitulatur. Et quamuis non doleret de inopis morte per alias causas, at non vult inopem perire per ipsum. Item, ego sum socius hominis tristitia pressi: teneor lege societatis exercere actiones aliquas quibus tristitiam depellat; possum ego velle illas exercere, quia sunt aptæ ad lætitiã socij, propter honestatem quæ in illis reperitur. quod si socius non læteretur, possum ego non displicere de carentia lætitiæ: quia ad me tantum spectat, ne ille mea culpa sit tristis. Melius confirmatur tertio exemplo: ego teneor alicui bene consulere ne erret: possum satisfacere meo muneri propter honestatem illius: item simul possum desiderare vt ille erret, neque me audia. igitur reperitur obiectum per se amabile in his actionibus, quamuis non ametur actus liber ad quem sunt aptæ. Eadem ratione per hanc virtutem de qua disputo, amantur actiones propriæ, quia aptæ sunt ad placendum Deo, quamuis non ametur directè complacentia Dei. Quæ tamen amatur indirectè, tamquam obiectum formale: quia amatur obiectum cum quo cognoscitur habere connexionem. Quod si Deus necessariò sibi complacet in obiecto bono, vt existente, habet necessariam connexionem cum illo.

§. 150. Rogas vtrum actus liber Dei, vt liber, possit esse obiectum formale partiale huius virtutis? Respondeo negatiuè ex volum. 2. disp. 128. à §. 75. quia actus Dei, vt liber, non addit bonitatem distinctam etiam ratione à bonitate necessaria, sed amatur propter se vt est ens necessarium in sua existentia; sub denominatione autem libera potest amari vt est principium alicuius boni, aut sub alia ratione ad aliud. Præcipit autem Deus vt faciamus ea quæ illi placent, quia ea sunt sub ea ratione honesta. Si autem agamus de ipsa complacentia Dei, non est illi melior aut voluptuosior quàm displicentia: est autem æquum vt nos amemus ea quæ Deo placent quia illi placent, quia sub ea ratione sunt bona; at sub ratione complacentiæ Dei non est discrimen inter bona opera & mala, in ordine ad maiorem voluptatem aut bonitatem Dei: qui cum tanta voluptate displicet in malis, quanta complacet in bonis. Igitur directè actus Dei sub denominatione libera, non possunt esse obiectum formale alicuius virtutis, quamuis sub ratione entis vt existentis necessariò sunt obiectum formale virtutum Theologicarum; indirectè autem sunt, quia procurantur per eas actiones.

§. 151. Deinde distinguitur hæc virtus à charitate. quia quamuis ametur actus Dei vt liber, adhuc illos non amat secundum se, sed vt sunt quasi

dependentes à nostris actionibus, vt ab obiectis: s. Thom. q. 1. art. 2. charitas amat Deum secundum se, propter ipsum autem amat omnia quæ illi placent: vt amicitia humana amat hominem propter ipsum, item & eius bona vult esse quacumque ratione possint: at hæc virtus amat beneplacitum Dei non secundum se, & vt obtinendum quacumque ratione, sed vt est coniunctum cum actionibus proprijs ipsius amantis: quemadmodum eleëmofyna non amat leuamen inopis vtumque eiusque vitam, sed vt coniungitur cum actionibus ipsius miserentis.

§. 152. Quæ diligenter obserua, ad discernendas nonnullas virtutes. Pœnitentia non potest esse de peccatis alienis: quia eius obiectum formale est deplorare peccata propria, quia per illa offensus est Deus. Ob quod Christo repugnat actus pœnitentiæ, seu doloris: quia de peccatis proprijs non potest illam habere, de alienis autem minimè. Eleëmofyna non potest esse circa actiones aliorum: est enim eius obiectum leuare inopem per actiones proprias ipsius miserentis. Castitas non est virtus de aliorum temperantia, sed de propria obtinenda per actiones proprias. Spes non est de beatitudine aliena, sed de propria; de aliena verò, vt est utilis ad propriam: quando verò aliena amatur propter ipsam, amatur per alium habitum distinctum à spe, vt dixi disp. 99. à §. 48. vol. 2. Vtrum autem de facto detur hic habitus, ibidem disputauit. Itaque hæc virtus amat actiones proprias subiecti in quo est, vt sunt Deo placentes: beneplacitum autem Dei amat vt est cum illis coniunctum, ob quod non est virtus Theologica simpliciter, sed secundum quid.

§. 153. Obijcis Secundò, hanc virtutem esse obedientiam: cuius obiectum est exercere actiones, quia à Deo sunt amata & præcepta. Nego antecedens: actus enim obedientiæ supponit præexistentem voluntatem Dei: quam sequitur non vt illi complacatur, sed vt exsequatur quod illa vult, quia est voluntas iurisdictionis. Itaque actus obedientiæ non antecedit, sed sequitur voluntatem Dei: actus autem huius virtutis non sequitur ex conceptu suo, sed antecedit voluntatem Dei. Si enim Deus nihil mihi præciperet, neque consuleret, non possem illi obedire, quia sine præcepto aut consilio non est obedientia: posset tamen esse hæc virtus, quia posset exercere actionem, quam existimarem futuram Deo gratam. Si Deus careret iurisdictione, locum haberet hæc virtus, quia adhuc bona opera placerent Deo quæ propterea possem ego exercere: multa enim efficiamus vt alicui placeamus, non quia habet iurisdictionem in nos, quia sæpè ea caret; sed quia volumus illi placere. Siue ergo præeat consilium aut desiderium Dei, siue non præeat, hæc virtus est vt exerceamus ea quæ Deo futura sunt grata: obedientia autem spectat ad præcepta, aut consulta.

§. 154. Obijcis Tertio, hæc pertinere ad virtutem religionem, quæ respicit excellentiam Dei ob quam ei famulatur: ergo non est virtus specialis. Nego antecedens: quia religio versatur circa actiones significatiuas excellentiæ Dei, quæ amantur propter eam rationem, & oriuntur ab excellentia vt cognita: hæc autem virtus non curat excellentiam Dei, sed beneplacitum. Quamuis enim nihil cogitet de Deo vt eccellente, potest exercere suos actus, si eum considerat vt beneplacentem: religio item potest actiones suas exercere, considerans

*S. Thom.
q. 2. art. 2.*

derans Deum vt excellentem, non verò vt beneplacitum. Quod ab humanis confirmo: possumus enim regem colere, licet nihil cogitemus vtrum illi placeat cultus: possumus item velle regi placere nihil de cultu curantes. Item, religio non habet excellentiam Dei pro obiecto formali quod amet directè aut indirectè: quia excellentia Dei neque est, neque augetur nostro cultu: beneplacitum autem, qua parte est gaudium, amatur indirectè hac virtute vt obiectum formale: quia directè amantur actiones vt apte sunt ad illud terminandum, quod quasi pender obiectiue ab actionibus. Igitur, quia censemus Deum esse dignum, cui studeamus placere nostris actibus, ideo eos exercemus, quia apti sunt vt placeant Deo.

§. 155. Obijcis Quarto: hoc pertinere ad virtutem attritionis, cuius primus actus est circa actionem vt honestam intrinseca sua honestate: secundus autem actus est dolor de turpitudine actionis: ergo hæc virtus non est specialis. Nego antecedens. Ad probationem respondeo, attritionem ab hac virtute differre. Primum, quod attritio est de turpitudine speciali alicuius peccati, quin frequenter se porrigat ad turpitudinem peccati vt sic. Ex. gr. quando aliquis doler de turpitudine furti, quia furtum est; aut homicidij, quia homicidium est. Hinc contingit vt aliquando confessio Sacramentalis absque culpa pœnitentis non conferat gratiam, quia pœnitens simul fur & homicida furtum obliuiscitur inculpare, & cum dolore de homicidio, quia homicidium est peccatum exponit sine contritione aut motiuo generali attritionis: hic non committit peccatum hac confessione, neque item accipit gratiam. Vtrum autem illa confessio maneat informis, & sine obligatione repetendi homicidium, non est huius loci. Hæc autem virtus habet obiectum formale & generale, nempe aptitudinem actionis, vt Deo placeat. Secundò, differt à priori, quia attritio detestatur turpitudinem peccati propter ipsam, id est, detestatur peccatum quia turpe est. Et spectat ad virtutem amantem actum bonum, quia honestus est: quæ virtus nihil curat de complacentia aut displicentia Dei de illa honestate aut turpitudine: hæc autem virtus non sistit in illa honestate aut turpitudine, sed illam aut amat, aut detestatur, quia est apta ad complacentiam aut displicentiam Dei: ob quod est virtus excellentior. Quod confirmo. Si per impossibile actio turpis non displiceret Deo, haberet locum attritio, quia adhuc actus est turpis: at non habet locum hæc virtus, quæ contemplatur actiones honestas aut turpes, quia habent connexionem cum complacentia aut displicentia Dei.

§. 156. Quaris, quæ sit honestas huius virtutis? Dixi enim eam esse in ordine ad actum liberum Dei, qui vt liber non habet bonitatem. Ego respondeo alia questione, quæ sit honestas obedientiæ, quæ est in ordine ad voluntatem liberam Dei qua nobis aliquid præcipit, quæ voluntas non habet maiorem bonitatem quam beneplacitum liberum Dei. Non potest dici, actum liberum Dei non habere bonitatem: habet enim bonitatem existentiam infinitam; sed dicendus est non habere bonitatem distinctam, ob quod in ratione existentis amatur propter se virtutibus Theologicis, quamuis in ratione liberi non terminat no-

uam virtutem propter ipsum, quia non habet nouam bonitatem. Quia verò in sua entitate est actus Dei, item quia semper est ex dictamine rectæ rationis diuinæ; ideo obedientia accipit honestatem in exequendo quod ille vult, quia ita vult: & hæc virtus accipit honestatem in exequendis actionibus aptis ad illius complacentiam, quia illius complacentia est: vt enim æquum est obedire, ita & placere.

SVBSECTIO IV.

Hæc virtus est pœnitentia.

§. 157. **C**oncludo tandem, hanc virtutem esse habitum pœnitentiæ. Considera aliquas virtutes accipere denominationem ab aliquo suorum actuum aut frequentiori, aut notiori; non verò à primario. Vt habitus spei ita appellatur ab actu qui est spes, siue speratio: cum tamen ille habitus habeat alios actus ab speratione distinctos & magis nobiles, ob quos relinquitur in patria, vt dixi volum. 2. disp. 105. sect. 2. & disp. 108. sect. 4. Virtus, qua timeamus cruciatus æternos, vocatur timor seruilis, cuius primus actus est amor incolunitatis æternæ. Ita pœnitentia appellata est à dolore de peccato commisso contra beneplacitum Dei: qui actus est secundarius; primus autem eius habitus est amor in actiones, quia Deo sunt placitæ: & quia actio displicens Deo opponitur actioni Deo placenti, ideo ab eo habitu oritur actus secundarius, qui est dolor de illis actionibus. Igitur in omni virtute quæ denominatur à dolore aut odio de obiecto malo, quærendum est obiectum bonum quod per se ametur illa virtute. Odium enim oritur circa obiectum, quia opponitur bono quod amamus. Odium enim non est primus actus voluntatis: primus enim est amor strictus de bono secundum se propter eius bonitatem: & quia malum opponitur huic bono amato, ex amore eius boni oritur odium mali: neque enim odio habemus nisi ea quæ opponuntur bonis quæ amamus. Quia verò frequens est odium & magis notum de actione turpi quia Deo displicuit, ideo hæc virtus dicitur pœnitentia.

§. 158. Hinc deduces in Christo non esse actum pœnitentiæ, vt dixi §. 152. quia pœnitentia non est de peccatis alienis: propria autem non potuit humanitas Christi habere in sensu composito vnionis. At verò Christus habet habitum qui est pœnitentia & præcipuos eius actus, quia habitus pœnitentiæ est idem cum habitu amante actiones proprias, vt sunt apte ad placendum Deo; vt iam dixi: sed Christus habet eiusmodi habitum: ergo Christus habet habitum qui est pœnitentiæ. Minor pater, quia Christus potest amare suas actiones ex hoc motiuo, quod honestum est & independens à peccato, & maxime consentaneum statui Beatorum. Præcipui actus sunt amor strictus in eas actiones secundum se; desiderium eas exercendi; gaudium de illis vt exercitis. Item odium strictum de actione turpi vt Deo displicet; & fuga efficax illam vitandi; & gaudium de illa iam vitata per actus supernaturales. Quamuis enim Christus peccare non potest; tamen odio efficaci prosequitur omnè peccatum, & de illius carentia gaudet. at Christus non habet eum habitum sub-

con-

conceptu & appellatione pœnitentiæ: quia ita concipitur in ordine ad tristitiam de propria actione exercita contra beneplacitum Dei.

SECTIO XII.

Vtrum Christus satisfecerit ex iustitia pro peccatis?

§.159. Considerari possunt tria. Primum, *vtrum* Christus depulerit malam opinionem de Deo, & in hac parte satisfecerit Deo ad æqualitatem? in quo sensu quæstio est facilis soluta. Christus enim depulit idololatriam, & blasphemiam, hominesque reuocauit ad verissimas de Deo sententiâs. Neque hac de re est præsens controversia, quia si hac in parte pura creatura potest satisfacere, quid ni & Christus? Secundum est, *vtrum* Christus fecerit satis pro sola condonatione peccati? Tertium, *vtrum* impetrauerit ex iustitia gratiam formaliter sanctificantem nos? qui enim aiunt posse peccatum sine intrinseca renouatione deleri, censent hoc tertium à secundo esse distinctum.

SVBSECTIO I.

In Christo est virtus ad satisfaciendum ad æqualitatem ex iustitia.

§.160. Satis constat, opera Christi esse valoris infiniti, & maioris æstimationis apud Deum quam omnia peccata. Nunc assero in Christo esse specialem virtutem moralem, qua voluit ad æqualitatem satisfacere pro peccatis: quam ego cum multis appello commutariam iustitiam ad Deum.

§.161. Probat. Christus cognoscit sua opera libera esse pretium condignum remissione peccatorum per gratiam sanctificantem: ergo potuit absolute & efficaciter velle ea opera in pretium. Consequentia patet: quia obiectum non solum est absolute possibile Christo, sed etiam facile: est item honestum dignumque Deo homine: ergo potuit illud efficaciter & absolute velle. Hanc virtutem esse iustitiam probo, quia est voluntas seruandi Deo ius suum, id est, illi offerendi pro gratia tantum, quanti ipsa æstimatur; ad quod potuit ex pacto obligari. Difficultates autem emergentes superandas curabo.

§.162. Rogas, cur hæc virtus non sit in pura creatura? Respondeo, omnes naturas intellectuales ordinis naturalis esse viribus suis incapaces eius virtutis, quam omnes possunt habere per potentiam obedientialem: habitus eius virtutis potest esse in natura non vnita Deo hypostaticè: quia potentia obedientialis eadem est; cui carentia vnionis non est impedimento ad habitum: quia potest esse, licet ibi non exerceat aliquem actum. Actus autem absoluti & efficaces non possunt esse nisi in natura vnita Deo: non ob defectum potentie obedientialis, sed quia essentialiter pendent ab vnione hypostatica, vt ab obiecto cognito: vt gratiarum actio pro beneficio pendet à beneficio ipso. Quia igitur ab vnione pendet infinitudo valoris, non potest qui caret vnione velle absolute æqualitatem

pendentem ab eo valore. habitus autem de facto *s. Thom.* non est datus nisi humanitati Christi, quia non potest in alijs exercere actus absolutos efficaces.

§.163. Est quæstio, *vtrum* hæc virtus sit directa, an reflexa? Directa virtus est, cuius obiectum formale non est actus voluntatis, sed potentie à voluntate distinctæ: reflexa autem, cuius obiectum formale est actus eiusdem voluntatis, quia virtus denominatur præcipue ab obiecto formali. si verò obiectum formale sit actus voluntatis, & attingat pro materiali aliud extra voluntatem, tunc dicitur absolute reflexa: è contrà verò est directa, quando obiectum formale est extra voluntatem, quamuis aliqua obiecta materialia sint in voluntate. De termino reflexo & directo egi disp. i. summularum §.40.

§.164. Respondeo, hanc virtutem esse directam & reflexam. Reflexa quidem est, quia in parte habet obiectum formale actus voluntatis: quia potest velle offerre actus liberos internos pro gratia nos sanctificante. Directa verò, quia habet etiam actiones externas pro obiecto formali. Videns enim Christus actiones suas externas esse pretium condignum nostra gratia, eas vult per hanc virtutem. Neque opus est eas velle vt liberas, libertate se tenente ex parte obiecti amati: sed satis est eas liberè ab ipso electas esse pretium condignum: qua cognitione mouetur ad eas liberè eligendas per hanc virtutem. Pone, Christum eas actiones cognoscentem nullum exercere actum internum nisi hunc iustitiæ, quo eligit mori pro nostra salute: hic actus dat valorem morti, illamque constituit pretium nostræ salutis: quia ille constituit opera externa libera & moralia, & infinite meritoria. Explicatur exemplo matrimonij: cognoscit Antonius suum contractum liberum esse satis ad valorem matrimonij, & nullum actum internum exercens præter voluntatem de externo contractu, cum illo constituit matrimonium, quin illam actionem externam voluerit vt liberam amans libertatem ex parte obiecti.

§.165. Obijcis: Opus externum nisi liberè exerceatur, non habet valorem moralem: ergo iustitia non potest illum eligere vt iustum pretium, nisi eligat reflexè libertatem internam. Nego consequentiam: satis enim est si obiectum & actio externa eligantur liberè, licet non ametur libertas: hæc enim necessaria est ex parte modi, non verò ex parte obiecti: quia se tenens ex parte modi constituit obiectum absolute liberum. Argumentum autem est malum, quia à necessitate libertatis intulit necessitatem libertatis ex parte obiecti: cum hæc non sit necessaria ad libertatem vt sic. exercemus enim multos actus liberè, quin ex parte obiecti libertatem amemus.

§.166. Hinc deduces; actus liberos internos non habere pretij condignitatem ab hac virtute iustitiæ, sed à se ipsis: quia ipsi sunt actiones Deiviles, & sunt seipsis liberi, & placent infinite Deo. Ob quod vt liberi non imperantur à iustitia: iam enim ostendi vol. 2. disp. 135. non posse imperari actus liberos, manente illorum immediatà libertate; offeruntur tamen à Christo reflexè per hanc virtutem iustitiæ: id est, Christus vult vt illi sint pretium nostræ salutis. Non disputo nunc, *vtrum* hæc oblatio sit antecedens, comitans, aut sequens actus oblatos: satis enim est, eam esse. Actiones autem

S. Thom.
q. 1. art. 2.

tem externas imperat hæc virtus, à qua illæ accipiunt formaliter moralitatem, vt à quouis actu libero. Eliguntur autem actiones externæ vt obiectum aptum ad contrahendum cum Deo, si liberè eligantur.

SVBSECTIO II.

Difficultas de eodem supposito cui, & à quo est satisfactio.

§. 167. **M**ultis ex capitibus difficilis est Christi satisfactio ex iustitia, nec minùs est ex definitione Aristot. qua constat iustitiam esse ad alium. Communis responsio est, sufficere distinctionem naturarum in eodem supposito. quod mox probabo: at priùs ostendo id non dici consuetè à nonnullis. Aristot. causam definiit in ordine ad aliud. Vt autem aliqui Theologi defendant, Patrem non esse causam Verbi & Spiritus sancti, dicunt eas duas personas non esse aliud à Patre: quia licet sint aliud in supposito, non sunt aliud in natura: exigunt igitur maiorem distinctionem quàm in supposito: ergo Christus non potuit satisfacere ex iustitia; quia absolutè non est aliud; quia Christus est absolutè vnus, & non duo; dualitas autem illi conuenit cum addito, id est in natura.

§. 168. Aduertè, satisfactionem fieri per se primò enti intellectuali vt est intellectuale, quia intellectus percipit compensationem, & voluntas placatur: vnde ratio formalis accipiendi compensationem sunt intellectus & voluntas: cætera verò illam percipiunt ratione intellectus & voluntatis. quod patet in virtute actiua, quæ per se primò conuenit potentiaë factrici, cæteris autem per denominationem, vel per identitatem, vel per vnionem.

§. 169. Hinc fit, naturam diuinam esse cui per se primò offertur satisfactio: personis autem diuinis offertur ratione naturæ. Primùm, quia iniuria fit Deo ratione naturæ; Secundò, quia natura est ratioe sui operatiua; personæ verò ratione naturæ. Tertio, à priori, quia intellectus & voluntas conuenit naturæ per se primò, personis autem vt sunt idem cum natura. Aliqua prædicata conueniunt aliquibus rebus vt *quo*, non verò vt *quod* villo modo. Ex. gr. visus (in sententia illum à substantia distinguente) videt vt *quo*, non tamen vt *quod*: est enim accidens quo anima videt. alia verò conueniunt aliquibus rebus vt *quo*, item & vt *quod*, vt humanitas per visum videt vt *quod*: illi enim potentia videns communicat suum formalem effectum: quia verò humanitati deest suppositum, & homo dicitur sentire; humanitas comparatione hominis dicitur sentire vt *quo*. Est igitur sentiens vt *quod*, duplex: alterum completum vt homo, alterum incompletum, vt humanitas; ita tamen vt si humanitas esset sine supposito, operaretur, inferret iniuriam, & satisfactionem offerret tam bene quàm cum supposito. quòd si diuinitas esset sine supposito, perciperet iniuriam & satisfactionem. Personis igitur conuenit illa perceptio vt *quod* ratione naturæ diuinæ eas habentis etiam vt *quod*: quo differunt à facultatibus accidentarijs, quibus illa prædicata conueniunt vt *quo*.

§. 170. Hinc inferes, tres personas ratione naturæ esse indiuisibiliter principium omnis actionis ad extra: quia illis conuenit per identitatem cum

natura quasi communicante personis suum formalem effectum: quia est idem cum illis. Eadem ratione offensio & satisfactio est indiuisibiliter communis tribus personis: quia illis conuenit ratione naturæ eiusdem cum illis; nec potest Verbum eam satisfactionem non accipere, sicut non potest non creare humanitatem ex suppositione quòd creetur à Deo: sicut etiam non potest Verbum vt Deus, esse maius se ipso vt est homo.

§. 171. Ob quod non sunt audiendi qui censuerunt Christum fecisse satis duabus alijs personis, non suæ: hi enim periculosè diuidunt opera Trinitatis ad extra: quia iam diuidunt satisfactionem, quæ offertur duabus personis, non verò toti Trinitati. Cum igitur eadem sit ratio in influxibus physicis & in satisfactione, non potest hæc magis diuidi quàm illi. Confirmatur, si Verbum non esset vnium humanitati, illi competeret satisfactio: ergo & post vnionem. Probo consequentiam, quia humanitatis vnio non adimit Verbo prædicata quæ illi conueniunt secundum se, vt est vnium diuinitati: quia non adimit eam vnionem, & quasi communicationem effectus formalis. Quæ clarissima sunt propter realem distinctionem duarum naturarum Christi: & pulchrè asseruntur à S. Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 19. his verbis: *Honor vti que ille totus est Trinitatis. Quare? quoniam idem ipse est Deus Filius Dei: ad honorem suum se ipsum sibi, sicut Patri & Spiritui sancto obtulit, id est, humanitatem suam diuinitati suæ, que vna eadem trium personarum est.*

§. 172. Ad confirmationem ex §. 167. Aristot. egit de iustitia ad aliud in natura & supposito: quia in supposito vno non agnouit duas naturas integras: in rebus enim creatis singula supposita sunt naturis singulis. imò Aristot. non agnouit distinctionem naturæ à supposito: quia verò in Christo duæ naturæ sunt in vno supposito, est etiam fundamentum ad prædicata quæ sunt ad aliud: quia ratio illorum est distincta, & vna potest esse ad aliam: Christus vt homo est subiectus; ipse autem vt Deus, est superior. recognosce §. 170.

SVBSECTIO III.

Ratio de operibus ex alio capite debitis.

§. 173. **V**ehementer angit Theologos hæc difficultas: omnia enim opera Christi sunt Deo debita ex iustitia: Christus ergo per illa nihil potuit ex iustitia impetrare. Antecedens constat ex dictis. Consequentia probatur, quia contractus ex iustitia exigit contrapassum: vt ego dem tibi rem meam & non tuam, & tu des mihi rem tuam & non meam: quia si ego tibi diripi centum aureos, non soluam si pro illis ego reddam equum tuum: quia equus est tuus, & non meus: at tuo equo non constituo æqualitatem quam furto abstuli: igitur opus est contrapasso. Item, si iudex tenetur ex iustitia ferre sententiam pro me, non potest mecum inire contractum iustitiæ, & accipere nummos pro sententia ferenda. Quòd si Antonius ex iustitia tenetur laborare in meis hortis, non potest mecum ex iustitia componere stipendium pro labore: sicut nec seruus pro obsequio mihi debito.

§. 174. Pono, eadem actione posse fieri satis multis titulis, quibus debita sit talis actio: si tituli pertinent ad diuersas virtutes, non est dubium: ego ob-

obstrictus sum beneficijs à meo parente, cui ex iustitia debeo centum aureos soluendos hac die. parens est in necessitate graui, qua soluetur solutis à me aureis: ego teneor tribus titulis illos soluere hac die: titulo pietatis, quæ me obligat ad opitulandum patri grauius egentis: titulo gratiæ, seu gratitudinis, quæ obligat ad remunerationem cum beneficio grauius indigentis: titulo iustitiæ, quæ me obligat ad restituendos hodie nummos. Item ex religione & iustitia possum ego obligari & satisfacere vna actione obligationi vtrique. V.g. miles fert stipendia ad propugnanda templa: videt ea impeti ab infidelibus, tenetur titulo religionis ad ea propugnanda: item titulo iustitiæ. neq; dubium, vna propugnatione eum facere satis vtrique virtuti.

§. 175. Censuerunt aliqui propter argumentum in §. 173. repugnare vt Deus ex iustitia nobis aliquid reddat: quia licet vna actione possimus satisfacere duobus titulis diuersarum virtutum; non tamen duobus titulis iustitiæ: cum igitur omnia nostra opera Deo sint debita titulo iustitiæ, non possumus per illa contrahere cum Deo ex iustitia. Quos impugno aperte Primùm: quia vna actione possumus satisfacere duobus titulis iustitiæ. Pone, Antonium spondidisse Petro mille aureos pro dote cum filia, eumque contractum vtrique esse perfectum, quia Petrus spondit nuptias cum Antonij filia ignara contractus: deinde eadem filia se fruendam obtulit Petro cum contractu matrimonij, quem Petrus accepit & deuirginauit mulierem: tenetur Petrus duobus titulis iustitiæ inire matrimonium illud. Quo inito, satisfacit vxori pro obligatione iustitiæ orta ex stupro, & satisfacit Antonio pro obligatione ex contractu: Petro item competit actio de dote aduersus Antonium. ergo duobus titulis iustitiæ possumus satisfacere vna actione, & potest nobis actio competere orta ex actione eadem. Secundò probatur, in beneficijs Ecclesiasticis. Clericus fruens vno beneficio tenetur ex iustitia ad officium. is si nouo augetur beneficio, tenetur nouo titulo iustitiæ ad officium; vno autem officio satisfacit vtrique titulo, & illi competit actio ad vtriusque fructus. Tertid, Petrus accepit pecuniam vt diceret Antonium non fuisse homicidam; tenetur Petrus ex iustitia ad illud asserendum: deinde Petrus imposuit Antonio homicidium de quo agebatur; tenetur ex iustitia Petrus compensare damnum: vna autem sola actione satisfacit vtrique titulo.

§. 176. Objicis: Petrum teneri ad restituendam pecuniam acceptam pro ferendo testimonio; quia nihil potest ferre pro ijs quæ ex iustitia debet. Respondeo, si Petrus tulisset testimoniu falsum priusquam acciperet pecuniam, aut pro illa spondidisset testimonium, eum teneri ad retractationem, & ad non accipiendam pecuniam: quia in eo euentu caret titulo ad pecuniam: at pacto præuente iam acquisiuit Petrus ius ad pecuniam bono titulo, quod ius non amittit. Petrus falso testimonio, solumque tenetur ad actionem quam spondit. Vtrum autem Petrus committat duo peccata, si non ster pacto; est questio de peccatis, de qua ibi egi perabunde. Idem patet in exemplo Petri adducto §. 175. non enim tenetur restituere dotem in eo euentu: neque clericus restituet Ecclesiæ fructus alterius beneficij. Ratio à priori est, quia titulus vterque est in eadem actione.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

§. 177. Eadem ratione si ex meo peccato relicta est mala opinio de Deo (vt dixi §. 111.) quamuis titulo iustitiæ, creatoris, alijsque titulis ego teneor ad retractationem blasphemæ, teneor etiam titulo iniuriæ, & inæqualitatis relicte: quia hoc damnorum genus obligat ex iustitia ad compensationem: vtrique autem titulo ego satisfacio vna retractatione: ea enim satisfacio dominio creatoris, quod in eo actu à me non exigit plus. item satisfacio iniuriæ, quia abolitâ malâ opinione de Deo iam extinctum est ius ea in parte: quia licet Deus potest exigere pœnas pro culpa; tamen aliam compensationem honoris adempti non potest petere ad finem tollendæ malæ opinionis, quia iam nulla manet. Quemadmodum fur restituit pecunijs non tenetur ad aliud quo compensetur furtum: quia nullum damnum relictum est ex furto, esto possit iudex pro peccato furti exigere pœnas à latrone. Ratio à priori, quia illi tituli cadunt in eandem rem, neque exigunt duas ad satisfaciendû dominio creatoris, & iuri ad bonam opinionem: quia exigente Deo retractatione ratione dominij, iâ facio quod exigit: eadem autem actio tollit inæqualitatem honoris Dei; eâ autem sublata ad nihil aliud obligat ex iustitia.

§. 178. Difficultas autem non est in his generibus, sed in alijs, quibus ego debeo aliquid ex iustitia, si possum eo reddito acquirere ius ad rem nouam: vt si ego ex iustitia debeo asserere, Petrum non fuisse homicidam ratione testimonij falsi; an eadem retractatione possum ego acquirere ius ad nouam pecuniam? Aliqui affirmant, quia si Antonius violauit Mariam cum sponcione matrimonij, tenetur ex iustitia illam ducere: item potest accipere pecuniam vt illam ducat. Hæc ratio non vrget: Antonius enim violatâ Mariâ non potest accipere pecuniam vt eam ducat, ita vt pecunia non sit dos Mariæ, sed præcisè sic pretiu ineundi contractum: hoc pretium non potest iuste accipere; quia ex iustitia tenetur antecedenter ad illum contractum, vt in simili dixi §. 176. Si verò pecunia offeratur Antonio in dotem, potest illam accipere, quia dos est vxoris: vt autem; recusaret dotem, opus esset vt, quando spondit matrimonium, cesserit iure dotis, si eam posset habere Maria; si autem de dote nihil actum est; tenetur ducere Mariam, siue dotem habeat, siue careat. Confirmatur exemplo iudicis, qui non potest accipere pretium pro sententia mihi debita ex iustitia, quia non habet titulum ad rem illam: caret enim contrapasso in acquisitione tituli. Ob quod actione Deo ex iustitia debita non possum ego eum obligare vt mihi conferat gratiam: quia illud quasi contrapassum Dei non habet in me aliud correspondens.

§. 179. Censuerunt alij inter Deum puramque creaturam non posse contingere hanc obligationem iustitiæ per bona debita alio titulo iustitiæ: posse autem inter Deum & Christum, quia opera Christi sunt infiniti valoris, quo fit satis omnino debito Dei: vt vno opere Christi fit satis pro infinitis peccatis, Christusque meretur infinita præmia. Contra: Tota illa infinitudo est debita Deo ex iustitia, ita vt nihil sit in opere indebitum. Quamuis enim dignitas infinita suppositi secundum se non est debita; quia est idem cum ipso supposito: at opus, vt ab eodem supposito est infinitum, est etiam debitum: quia Deus titulo dominij potest exigere à Christo opera infinite valentia; ergo non

K est

6. Thom.
q. 4. art. 2.

est titulus ad contrapassum, exemplum est abs te; quia mereri possumus condignè per opera alioquin debita ex iustitia, quamvis non sint infiniti valoris: quia meritum oritur ex operis æstimatione & complacentia Dei: æstimatio autem operum Christi est maioris momenti, quam omnia præmia finita: ob quod potest in illis esse condignitas, non verò titulus iustitiæ, qui non est nisi in opere indebito.

§. 180. Ad argumentum ex §. 173. (quod nos tamdiu distaxit) Respondeo Primùm, obligationem creaturæ ad faciendum aliquid ex iustitia, esse duplicem: alteram remotam, alteram proximam. Remota est, qua creatura secundum se considerata debet aliquid Deo considerato etiam secundum se: id est, Deo est titulus iustitiæ ad exigenda nostra opera; nobis autem est obligatio illa præstandi si exigantur: alioquin peccabitur contra iustitiam. Obligatio proxima est, quando Deus iam exigit opera titulo dominij: tunc enim non consideratur Deus secundum se, sed etiam cum suppositione libera, & logicè quasi accidentaria, qua vult nostra opera: tunc nisi ea præstemus, peccamus contra iustitiam. Si verò Deus hæc opera non exigit titulo dominij, sed potius ea nostro permittat arbitrio; tunc habemus obligationem remotam, & proxima caremus. Possumus igitur offerre Deo opera indebita proximè: quæ apud Deum tanti æstimantur, quanti æstimarentur si non essent debita remotè. Debitum enim remotum cum carentia obligationis proximæ, nihil interest magis quam si non esset ad impediendum contractum: quia facta suppositione, quod Deus mihi permittat mea opera, possum ego pro meo arbitratu illa præstare aut negare, quin faciam contra iustitiam: ergo possum pro illis commutare aliud. Confirmatur exemplo serui, quem dominus soluit obligatione laborandi hodie in hortis, illique promittit se ab illo non exacturum labore hodiernum: si postea seruus velit laborare, poterit pacisci cum domino mercedem diurnam vendam pro suo libito. Video dominum cedere iuri suo, & iam non manere dominum laboris hodierni; ac etiam video exempla non posse in omnibus esse similia: satis mihi est obligationem remotam non tollere quo minus opera Christi tanti faciat Deus, quanti faceret si remotè non deberetur. Christus non habuit obligationem proximam moriendi pro nobis: quia satis probabiliter censuit S. Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 19. Christo non fuisse præceptam mortem: item, eum non debere facere nisi quod vellet, cuius verba recognosce §. 200. de quibus agemus inferius. Item, datam Christo optionem moriendi, est valdè consentaneum Scripturis: nec de morte Christi admittendum est præceptum, nisi dependens à voluntate humanitatis ipsius Christi: quo hæc omnia corrumpunt. Sic autem argumentum efformo: Christus hæc & nunc poterat proximè uti suo arbitrio citra iniuriam Dei: ergo erat proximè dominus sui arbitrij: ergo poterat eius opera offerre ad incommutandum contractum iustitiæ. Probo consequentiam: habebat proximum dominium aduersus Deum (ut ita dicam) ergo poterat sua opera Deo in contractum offerre.

§. 181. Secundò respondeo, admissò præcepto ut Christus mortem obiret, illud non esse admit-

tendum titulo dominij, sed solùm titulo iurisdictionis, ut dixi §. 121. At eadem actione possumus satisfacere duobus titulis diuersarum virtutum, quarum altera sit iustitia, altera verò obedientia vel religio, ut dixi §. 174. Quod patet in seruo prætoris. si enim prætor exigit à seruo aliquod opus titulo iurisdictionis & iustitiæ, potest utriusque satisfieri eadem actione. Cum igitur Deus aliquid non petat à Christo titulo dominij, relinquitur Christus cum facultate paciscendi cum Deo ex iustitia, ex qua eam actionem hic & nunc non debet. Hæc secunda responsio parum aut nihil differt à prima. Aduerte, titulos iustitiæ cadere aliquando necessariò in eandem actionem, aliquando in diuersas. agimus primo modo: titulus creatoris cadit supra omnes actiones Christi: ergo titulus satisfactionis cadit supra eandem: ergo vna potest utriusque satisfieri. Dices, peccatum petere actiones independentes ab omnipotentia Dei, si essent possibiles. Contrà: Termini implicatur in ipsa suppositione retenta. Primùm, quia naturalis petitio non potest esse rei impossibilis. Secundò, quia actio creaturæ independens ab omnipotentia esset creaturæ, & non esset. esset quidem, quia esset satisfactio exercita à peccatore, aut homine eam offerente pro peccatore: non esset, quia non esset ab ente pro essentiam.

SUBSECTIO IV.

De operibus quæ sunt in dominio creditoris.

§. 182. Nec minùs vrget hæc ratio. Ius est duplex: *in re & ad rem*. Ad rem habemus ius, quando vel res illa non existit, vel, si existit, non est apprehensa possessio. *in re* autem, quando res existit, & apprehensa est possessio; quod ius vocatur dominium. Vidimus Deum habere ius ad rem in nostra opera, quo sæpè non utitur: quia vel ea non exigit à nobis, vel saltem non exigit titulo dominij. Quando ea nullo modo exigit, non debentur à nobis proximè vllò modo, quando verò exiguntur, & non titulo dominij, tunc non debentur proximè ex iustitia, quamvis debeantur ex alia virtute. At quoties sunt, sunt in eius dominio: habet enim ius in re omnium creaturarum existentium. Est quæstio, utrum hoc ius impediatur contractum ex iustitia? Dominus habens mancipium potest illud non vrgerè ad laborem; at si operetur, vult ut labor sit ipsius domini: ita Deus, & quidem hoc ius magis videtur opponi contractui ex iustitia, quam ius ad rem: cum hoc enim componitur ut non debeat proximè: at res existens non potest non esse immediatè sub dominio Dei.

§. 183. Vnde arguo, in contractu iustitiæ debet esse commutatio vnus rei pro alia quæ non sit eiusdem domini: quia si tu dares mihi meam pecuniam pro meis equis, esset ridiculus contractus: neque est hac in parte contrapassum: opus igitur est ut mihi des aliquid tuum, & non meum: ut dixi §. 173. Quo differt iustitia à gratia, seu remuneratione: quod hæc locum habet in rebus proprijs & debitis alio titulo: mihi enim gratum est ut mecum facias quod debes, ut patet in mancipio, cuius opera mihi placent, quamvis mihi debita: pro quibus illud aliquo dono reficio: at iustitia est inter bona non propria, & alia propria ratione contrapassum.

§. 184.

§.184. P. Ragusa disp. 25. §. 3. ait Primum, in Christo ratione duarum naturarum posse esse distinctionem dominiorum. quod non nego. Secundò, in Christo esse nonnulla, quæ supposito conueniunt; sunt quæ ipsius, quæ nec sunt Dei secundum se, nec illi conueniunt; vt suppositum esse operans in humanitate, & alia id genus: quia suppositum secundum se ea prædicata ne habet, nec petit; sed ei conueniunt ratione naturæ creatæ: vt animæ cum diuersis dispositionibus conueniunt diuersa munera. Tertio, satisfactionem factam ex valore orto à supposito; qui valor est in dominio Christi vt est homo, vel vt est Deus terminans humanitatem; qui valor non est in dominio Dei secundum se. vnde infert Christum satisfecisse ex proprijs, & non ex bonis creditoris. Sic arguitur: Christus obtulit Deo aliquid suum, quod non est in dominio Dei creditoris: ergo potuit ex iustitia satisfacere. Probo antecedens: obtulit operum valorem, qui est Verbum: Verbum autem est personalitas Christi, & non sub dominio Dei: ergo. Item, obtulit opera vt valida: sed vt valida non sunt sub dominio Dei, quia reduplicant valorem, Verbum scilicet ipsum: ergo. quod argumentum frequens est Thomistis.

§.185. Aduerte, aliquid posse esse Christi vt est homo, & ei supposito conuenire, quin Deo secundum se conueniat, aut sit ipsius. hoc (inquam) potest esse in genere quasi causæ formalis: item possunt Christo vt homini conuenire omnia prædicata, quæ derivantur ex hoc quasi genere causæ formalis propter idiomatica communia, & sanctificare humanitatem, eam terminare, mori, & similia. at quæ ita sunt solius Christi in hoc genere quasi causæ formalis, sunt absolute Dei liberè volentis vt ita contingant, & ea potentis impedire: ob quod computantur inter eius bona, & sunt bonis Dei secundum se. Probat, quia natura humana terminatur & sanctificatur bonis Dei, quia sanctificatur aut natura, aut supposito Dei: quæ sunt bona Dei non minùs quàm Christi. etenim Verbum non est sub dominio Christi magis quàm Dei: at non minùs est quasi possessiuè inter bona Dei quàm Christi. quia natura diuina, quæ formaliter constituit Deum, & ratione cuius offertur & accipitur satisfactio formaliter, habet illud suppositum vt proprium, cum quo personam constituit diuinam multò perfectiùs quàm humanitas humanam: ergo Christus nihil offert Deo, quod non sit ipsius Dei non minùs quàm Christi quoad hunc effectum. nec item iuuat ea oblatio: quia satisfactio exigeret bona non creditoris, vt oblatione fierent ipsius creditoris distincta ratione, ac antea propter contrapassum. sed Verbum post oblationem non sit Dei ratione dominij, nec est illius noua ratione ac ante oblationem: ergo non fundatur contrapassum, nec quid offeratur Deo. Distinguo igitur antecedens in §.184. Christus obtulit suum dominatiuè quod non esset dominatiuè Dei, & quod de nouo sit Dei dominatiuè; nego antecedens. obtulit aliquid suum quasi possessiuè, quod eodem pacto esset etiam Dei; concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis: Verbum sub nullius est dominio, nec ante, nec post oblationem: est etiam Dei quasi possessiuè.

§.186. Confirmatur. Christus satisfecit operum valore & bonitate: sed hæc sunt Dei secundum se:

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

ergo satisfecit ex bonis Dei secundum se. Minor probatur: quia valor qua parte includit substantiam operum supernaturalium & moralitatem, est Dei secundum se, quia ea opera sunt immediatè concurrente Deo per gratiam & omnipotentiam. Vt autem valor includit Verbum, est etiam Dei: Verbum enim est & Deus, & Dei secundum se. Igitur si valor est creatus, est Dei secundum se illum creatis: si verò est increatus, est Deus secundum se: si mixtus ex creato & increato, est etiam Dei, partim per creationem, partim per identitatem, & quasi possessionem. nihil ergo potest esse qui sit absolute Dei secundum se.

*S. Thom.
q. 1. art. 2.*

§.187. Vnde arguo: ad impediendum contractum ex iustitia satis est rem esse absolute creditoris, & post contractum non fieri illius magis quàm ante contractum erat; quamuis in genere causæ formalis non sit ipsius, vt patet in meis bonis. opera enim mei serui non sunt mea in genere causæ formalis, aut materialis, quæ sub hac ratione potius sunt serui, nec tamen potest seruus illis mecum contrahere ex iustitia. item, ego habeo pecuniam in theca & equum in stabulo, quarum rerum non sum dominus, per aliquam causalitatem intrinsecam: nec propterea poterit aliquis per illa bona mutuo commutata contrahere mecum ex iustitia. Ratio à priori est, quia satis est vt res sit alicuius vel in eius dominio aliquo titulo, siue titulus sit identitas cum redante valorem, vel possessio, aut quasi possessio rei valorem accipientis, vel ipsius valoris, si est aliquid creatum: sed omnia quæ sunt in Christo, vt est homo, sunt absolute Dei secundum se, vel per identitatem, & quasi possessionem, si sunt increata; vel per dominium creationis, si creata sunt: ergo Christus non potuit ex iustitia contrahere cum Deo secundum se. Ad argumentum ex §.184. respondeo, Christum offerendo valorem sui suppositi nihil obtulisse quod esset sub suo dominio, quod non esset etiam sub dominio Dei: quia si valor est suppositum ipsum, hoc non est sub dominio Christi, nec Dei, quia est ipse Deus. Neque item Deus oblatione huius valoris accipit nouum ius in suppositum: opus autem esset illud accipere ratione contrapassi. Idem autem valor magis est naturæ diuinæ, quàm humanæ: quia humanam terminat per vnionem distinctam: ergo nihil oblatum est naturæ diuinæ, quod non esset suum. Si autem valor accipiat non quasi in actu primo pro solo supposito, sed quasi in actu secundo dependente ab vnione & operibus ipsis, est etiam sub dominio Trinitatis, quæ indiuisibiliter vult & efficit talem esse valorem.

§.188. Deum secundum se habere dominium in opera Christi propter causalitatem effectiuam, non videtur dignum controuersia: qua tamen in parte P. Ragusa disp. 25. §. 4. ait alia tria. Primum, Deum, vt est Deus, habere dominium in opera Christi titulo creationis. quod est certissimum. Secundum, Christum, vt est homo, habere dominium in suas actiones titulo libertatis communi omni creaturæ liberæ. Tertium, Christum habere aliquem titulum particularem in opera humanitatis: qui titulus non conuenit duabus personis, neque Verbo, vt est in natura diuina, nempe esse personale dignificans opera: ratione cuius omnia opera sunt propria Christi per quæ satisfacit. Quod mutuatus videtur hic auctor ex Capreolo in 4.

K 2 dist. 18;

s. Thom.
q. 2. a. 2.

dist. 15. q. 1. art. 3. quod ex eodem refert P. Vasquez
disp. 8. n. 37.

§. 189. Contra primum. Etiam homo purus
habet hunc titulum dominij: quia ad illum perti-
nent eius opera titulo personali: nulla enim perso-
na præter ipsum est illorum principium intrinse-
cum: Deus enim illa operatur extra suas personas,
& tamen etiam sub hac consideratione, sub do-
minio Dei sunt, neque possumus illa commutare
ex iustitia pro alijs bonis Dei: ergo idem est in ope-
ribus Christi.

§. 190. Respondit P. Ragusa rationem esse dif-
parem: quia suppositum creatum est sub dominio
Dei: ob quod omnia opera eiusdem suppositi sunt
etiam sub dominio Dei: at suppositum Verbi non
est sub dominio Dei; neque ea quæ ab illo ut sic de-
pendet sub ea ratione. Contra: Quæ sunt suppositi
diuini magis propria sunt naturæ diuinæ, & tam
sunt sub eius dominio quàm quæ sunt suppositi
creati: ergo omnia quæ sunt in Christi dominio ti-
tulo personali, sunt etiam sub dominio Dei secun-
dum se. Consequentia probatur, quia omnia quæ
pertinent ad meam naturam, sunt mea; quia mea
est illa natura: item, omnia creata quæ sunt Dei ra-
tione omnipotentis creantis, sunt totius Trinitatis,
quia omnipotentia, Trinitatis est. Identitas igitur
fundat tam perfectum dominium in rebus quæ
sunt rei identificatæ cum Deo, quàm quæ sunt sub
dominio Dei. Antecedens autem probatur: quia sup-
positum diuinum magis est naturæ Dei quàm sup-
positum creatum: hoc enim est Dei extrinsecè per
actionem; illud intrinsecè per identitatem, & ter-
minationem substantialem, & constitutionem
personæ diuinæ cum natura: ergo suppositum Ver-
bi est magis Dei secundum se quàm nostra suppo-
sita. Ob quod omnia quæ sunt suppositi Verbi, sunt
Dei maiori titulo, quàm omnia humanitatis sunt
Verbi, propter maiorem coniunctionem Verbi
cum diuinitate quàm cum humanitate: quia di-
uinitati coniungitur per identitatem, humanitati
verò per unionem distinctam. Quod si, quia Ver-
bum terminat humanitatem, facit peculiari ratio-
ne sua omnia, quæ sunt humanitatis terminatæ,
multo melius natura diuina faciet sua omnia quæ
sunt Verbi: tum quia est ratione nostra illius ra-
dix; tum quia est idem realiter cum illo; tandem,
quia cum illo constituit personam: satisfacit ergo
per bona creditoris.

§. 191. Contra Secundò: Verbum in terminan-
do actualiter naturam pendet à tota Trinitate, si-
ue à Deo secundum se: ergo non habet peculia-
rem titulum dominij. Probo antecedens, quia ratio
formalis terminandi ut quo est vnio: vnio au-
tem pendet à tota Trinitate secundum se: ergo
ratio formalis terminandi pendet à tota Trinitate
secundum se, & est in illius dominio. Respondet esse
id antecedenter. Contra: Non est nisi formaliter
in ipsa terminatione; cuius ratio formalis est vnio:
quæ non antecedit, sed constituit formaliter ter-
minationem: ergo ipsum terminare pendet forma-
liter à Deo: sicut vniri corpus & animam pendet
formaliter à Deo, quia vniri constituitur forma-
liter vnione: vnio autem pendet formaliter à Deo.
Valor ergo in actu primo est Dei, ut dixi, per iden-
tatem, at valor in actu secundo, ut actu commu-
nicatur, est Dei per creationem: quia esse valoris
actu includit vnionem, quæ creatur à Deo.

§. 192. Tandem si terminare est creatum, est
sub dominio totius Trinitatis: si est increatum, est
à parte rei idem cum natura diuina: si est in parte
in creatum, & in parte creatum, est Dei in parte per
identitatem, & per creationem in parte. Vide quæ
de simili argumento dixi §. 185. Quod si illa ter-
minatio per Verbum constituit peculiarem titulum
Christi, qui non sit formaliter Dei secundum
se; etiam libertas creata constitueret peculiarem
nostrum titulum, qui non esset formaliter Dei:
quia ut ratione terminationis opera humanitatis
sunt specialiter Christi ut hominis, & non Dei se-
cundum se; ita nostra opera ut sunt à nobis proxi-
mè & formaliter libera libertate intrinseca & vi-
tali nobis, sunt nostra, & sub ea ratione non sunt
Dei, quia eis non mouetur vitaliter. imò nostra
supposita habent illum peculiarem titulum: non
enim oriuntur à Deo ut terminante nostram na-
turam, sed ut à causa extrinseca. est igitur eadem
ratio in operibus Christi, & in nostris: unde vel om-
nes possumus ex iustitia conuenire cum Deo, aut
Christus non potest.

§. 193. P. Suarez asserit in contractu emptionis
& venditionis opus esse dare aliquid, quod non
sit creditoris propter contrapassum; at verò in sa-
tisfactione id non esse necessarium, quia est in ex-
hibendo honore ablato. Respondeo, id esse ve-
rum in satisfactione honoris adempti per blasphemiam
sententiam de Deo, cuius memini §. 111. &
177. quod latè probabo subsect. 7. quia ut operi
alio titulo debito ex iustitia ego possum auferre
inæqualitatem honoris illatam iniuste; ita possum
eamdem auferre actione quæ sit ipsius creditoris:
quia illum restituo in pristinum honorem: quo
facto iam non manet illa inæqualitas. ut si ego a-
licui vulnus infixi, illum quæ curo proprio suo me-
dicamento; iam satisfacio ex iustitia pro damno
illato vulnere: at verò quando non agitur de læsi-
one honoris, sed de quadam commutatione, iam
faretur P. Suarez opus esse dare aliquid quod non
sit creditoris. hoc autem in præsentis contingit,
Pone, homines peccasse sine blasphemia, neque de
Deo conceptam esse opinionem absurdam; tunc
non esset opus satisfactione Christi ad instauran-
dum honorem, sed præcisè ad impetrandam gra-
tiam remissionem peccati; ineundus ergo esset con-
tractus, do ut des.

§. 194. Omittis ergo aliorum sententijs non dif-
ficilibus impugnatu, Respondeo ex §. 62. vbi osten-
di posse rem eandem esse simul sub dominio Dei,
& creaturæ. Dei sunt omnia mille titulis, opera
autem Christi sunt ipsius duobus titulis. Primo, li-
bertatis communi omni agenti libero; Secundo
immunitatis à lege præcipiente titulo iustitiæ:
Christus enim non tenebatur ex iustitia mori, imò
nec tenebatur mori: quia poterat petere abroga-
tionem præcepti, ob quod poterat uti suo arbitra-
tu, citra iniustitiam Dei, & citra peccatum, in quo
consistit perfectum dominium liberi arbitrij. Hoc
dominium satis est ad ineundum contractum, quia
ego iam habeo contrapassum: do enim aliquid
verè Dei ad quod me obstringo, cum non tene-
rer, quia proximè id mihi non fuerat imperatum
ex iustitia; neque quod meum opus sit sub do-
minio Dei, aufert à me contrapassum: si enim mo-
rior ex contractu cum possem non mori, nonne
satis esset contrapassus? Quod autem opus illud sit
Dei,

Dei, neque tollit esse meum, neque minuit æstimationem: satis ergo est ut ego dem opera mea: ut esset satis ut darem pecuniam meam, & me obstringerem ad illam dandam cum non deberem. An alius eam minoris æstimaret oblatam à me quando non debebatur, quàm si nullo modo esset sua? Hac de re iam egi §. 180.

§. 195. Confirmatur. Deus dat aliquid illud à se non abdicans, quod ego tanti facio, quanti facerem si abdicaret: quia mihi tam bonum est sine abdicacione Dei quàm esset cum illa: retentio enim rei donatæ sub dominio Dei non aufert mihi usum eiusdem rei. ita quod Christus offerat opera quæ sunt ipsius Dei, non aufert honorem & æstimationem ipsius Dei: quia per immunitatem Christi à peccato in illis non offerendis efficitur, ut, quando offeruntur, sint tam bona Deo, quàm si nullo modo essent debita: quia in actu secundo dantur Deo de nouo tam sine obligatione, quàm si remotè non deberentur. Est igitur contrapassum: quia Deo datur aliquid indebitum proximè, æstimabile tanti, quanti si non deberetur remotè.

SUBSECTIO V.

Explicatur ea doctrina.

§. 196. **V**T autem de his constet apertius, libet ea explicare. Deus antequam aliquid pacisceretur cum Christo, habebat ius proximum iustitiæ ad petendum à Christo sua opera. Dicunt aliqui Deum cessisse hoc iure, neque voluisse ea petere: cum qua voluntate non potest componi operum petitio, quod est cedere iure proximo, id est ponere impedimentum ad petendum. Christus autem ex horum sententia renuntiavit illi cessione Dei, quem quasi expignorauit, & soluit obligatione non petendi ea opera, qua cessione effecit Christus, ut Deus posset proximè ea opera petere: Deus autem tanti facit eam nouam potestatem petendi de nouo opera, ut pro illa potuerit inire cum Christo contractum ex iustitia. Contrà: Deus non potest cedere iuri suo: quia cessio est abdicatio dominij siue iuris: quæ abdicatio non potest esse sine extinctiõne dominij aut iuris cui ceditur. Confirmatur. Cessio dominij est impotentia ad petendam rem etsi velimus eam petere: at Deo nulla est talis impotentia: ergo. Ratio autem, quæ hos fecerit auctores, est quia exercitium dominij censuerunt esse impotentiam ad aliquid petendum, quod quidem est falsum: quia ille actus secundus non affert imminutionem actus primi, ut sæpè probaui: sed illa cessio est tunc actus secundus ipsius dominij: ergo illud non imminuit. Est autem impedimentum ad alterum usum incompossibile cum cessione, non verò imminutio ipsius dominij. Quod si adhuc velis illam esse aliquam cessionem, & Deum ex contractu cum Christo manere sine impedimento ad alterum usum, id quæ ab ipso æstimari, sic argumentor:

§. 197. Deus nihili facit proximam capacitatem opera repetendi: ergo non potuit illa esse materia contractus iustitiæ. Probo antecedens, quia Deus cum summa voluntate & voluptate perficeret in ea cessione, ita ut tantum ei placeret Christum non mori quàm mori: quia Deo erat vtrumque æquè amabile: ergo Deus nihili facit ablationem

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

eius impedimenti: quia non erat impedimentum ad aliquid Deo magis gratum, quàm esset impedimentum ipsum. Confirmatur. Si ego volo aliquid facere tam gratum mihi, quàm esset oppositum, & alius me solueret obligatione hoc volendi; id ego nihili facerem: quia illa obligatio non erat nisi mea voluntas cum voluptate volens aliquid, & tanti æstimans quanti oppositum. Si illa obligatio esset ab extrinseco, aut distincta à voluptuosa mea voluntate, esset æstimatu dignum ut ea solueret: at quid ego æstimem quod alius me remoueat à voluptuosa mea voluntate, quando est tam bona quàm opposita? Christus ergo hac in parte nihil Deo daret æstimabile, quod posset esse materia contractus.

§. 198. Confirmatur Secundo. Ipsi dicunt non esse contra Dei perfectionem, communicare Christo dominium, & ad eius voluntatem adstringi: quia Deo est voluntarium & voluptuosum facere quod Christo libet. Rationem quæ reddunt, quia Deus voluit à se ipso se accommodare ad voluntatem Christi: in quo ipse exercet libentissimè suam, quæ tam libenter facit quod Christus vult, quàm faceret oppositum: sed illa cessio iuris est eodem modo voluntaria & voluptuosa Deo, quam ipse voluit de se, & in qua tam voluptuosè perseueraret quàm in opposita: ergo Christus offert Deo aliquid quod non est magis gratum quàm oppositum: ergo non potest esse materia contractus ex iustitia. Si ergo habeo equum in quo cupio videre Antonium exercere ludum arundineum: si Antonius me solueret promissione ut possem ego equum non dare; quid mihi offerret dignum ad in eundem contractum? si quidem ego tanti facio me esse obligatum quàm esse solutum.

§. 199. Deus est dominus omnium actuum Christi quando existunt: antè verò quàm existant habet in illos ius ad rem: tum quia quando existant, erunt ipsius; tum quia absolute potest illos exigere titulo dominij, quod habet in humanitatem Christi. hoc dominio Deus potest uti iam præcipiens, iam non præcipiens: quando præcipit, utitur suo dominio in alteram partem contradictionis, non permittens animæ Christi ut licitè possit aliud velle: quando verò non præcipit, utitur eodem dominio in oppositam partem: quia permittit immunitatem à peccato animæ Christi, ut faceret sine peccato quod liberet. Hi sunt duo vsus eius dominij, quod cum alterutro est in actu secundo æquè perfectio. Ob quod dixi §. 196. Deum non posse cedere iuri suo, neque phrasim illam esse admittendam: quia Deus semper est in actuali eius vsu volens de re sua hunc fructum & non alium, ubi seruetur integrè ius Dei, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo. Hac de iure Dei.

§. 200. Anima autem Christi habet etiam dominium in suos actus existentes: ad quos antequàm existant, habet ius ad rem: potest enim absque peccato velle mori, & velle non mori (de his actibus præcipue disputo.) Potest ergo de se, de suo corpore, & vita temporaria discernere sine peccato quod liberet: in quo Christus ut homo perfectissimè fuit dominus sui corporis, & facultatum animæ. quæ duo dominia non pugnare, dixi à §. 36. & 62. Hac doctrina de immunitate Christi Domini à peccato in eligenda aut reiicienda morte, & aliquibus alijs actionibus, est S. Anselmi lib. 2.

S. Thom.
q. 1. art. 2.

Cur Deus homo c. 19. his verbis: *Secundum humanum ex qua fuit homo, sic accepit à diuina natura, que alia est ab humana, esse suū quod habebat: vt nihil deberet dare, nisi quod volebat.* Ostendam autē inferiūs ex B. Anselmo mortem nullo pacto fuisse Christo præceptam. Ex quibus apertè deducēs perfectum Christi dominium in morte obeunda. Non disputo nunc præceptum immediatum de morte: sed assero, Christo permissam libertatem non moriendi, vel quia mors ex Anselmo non fuit præcepta, vel quia non fuit præceptum ne illam recufaret: potuit enim eam recufando, efficere vt Deus remoueret præceptum, in quo Christus fuit perfectè liber.

§. 201. Hinc colliges, in ordine ad complacentiam Dei de actibus Christi cedentibus in laudem ipsius Dei, & in ordine ad existentiam ipsorum actuum tam interiorum quàm exteriorum, Christum dare Deo aliquid suum ipsius Christi, non minùs æstimabile, & proximè indebitum, quàm si Deus ipse nullum in eos haberet ius. Quia quod attinet ad titulum iustitiæ & aliarum virtutum, Christus hinc & nunc supposità voluntate Dei tam immunis erat, obligatione moriendi, quàm si Deus nullum ius haberet ad mortem præcipiendam: quia obligatio radicalis absque proxima, non obligat absolute: ego enim non pecco contra obedientiam faciendo aliquid quod Prælati potest mihi interdiceret, nisi de facto interdicit. est igitur obligatio ad sequendam voluntatem maioris iam existentem & cognitam, non verò possibilem solum. Christus igitur Deo obtulit mortem, quam absolute non debebat, & quæ erat perfectè in eius potestate morali. Mors autem indebita tanti valoris est, quanti esset si non deberetur remotè: vt dixi §. 194. & 195.

§. 202. Deinde illa opera quando existunt, sunt perfectè sub dominio Dei secundum se, & Christi vt hominis: Dei, quia sunt ab ipso Deo vtente suo dominio pro libito, Christi vt hominis: quia pro suo libito vtitur sua voluntate potens absque peccato alium vsum eligere, ob quod iam offert Deo opus suum Christi, & indebitum: bonum ergo illud ita est creditoris, vt etiam propriissimè sit ipsius soluentis, vnde satisfacit per illa suum, & non per alienum. alienum enim est in quod ipse vt homo non habet ius: at in hoc etiam vt homo habet ius: igitur hoc non est alienum; est autem suum & Dei: quod est diuersum ac esse alienum. alienum enim dicit carentiam iuris proprii. Quando igitur dicimus satisfactionē non posse esse ex bonis creditoris, intellige de creditoris solius, & quæ non sunt soluentis: si verò sunt soluentis ipsius, & creditori non debentur proximè, licet quando existunt sint ipsius, possumus per illa satisfacere.

§. 203. Ratio est, quia, si Christus voluisset mortem recufare, creditor careret honore extrinseco quem habuit in morte Christi: neque in tali honore sibi complaceret actu: omnia igitur bona, quæ Deus ad suam gloriam percepit ex morte Christi, defecissent, nisi Christus mortem voluisset. Item, anima Christi caruisset voluntate moriendi, nisi illam indidisset Deus secundum se, siue Deus, vt Deus: in quo est quædam quasi mutua dependentia, quia Christus accepit à Deo voluntatem moriendi; Deus autem accepit à Christo gloriam mortis: & quia Christus hanc potuit sine

peccato negare, ideo aliquid obtulit dignum contractu ex iustitia.

SUBSECTIO VI.

Obiecta diluuntur.

§. 204. **O**bjecis: Deus non potest æstimare illa opera, quia tam voluptuosè illis carebit quàm si non darentur, vt de cessione iuris dixi §. 197. Quia si Deus optionem dedit Christo ad moriendum, & non moriendū, æquè voluit mortem, & eius carentiam. Quid igitur obtulit Christus quod magis placeret Deo? Hęc difficultas pendet ab illa, vtum Christus sit liber ad faciendum aliquid quod magis placet Deo, licet nullum sit præceptum? Qui dicunt animam Christi sequi necessariò, quod cognoscit Deo magis placere, quamuis ea de re nullum sit præceptum; vtentur hoc argumento: cui respondebunt, qua ratione respondent difficultati de merito Christi: quæ suo loco disputabimus. Qui verò censent animam Christi esse liberam ad sequenda, & non sequenda meliora, quæ consulit Deus, quando de illis constat nullum esse præceptum; faciliè respondebunt negato antecedente: quia Deo magis placet mors Christi cum bonis indesecutis, quàm illorum carentia. Quod assertur de cessione iuris, dispar est: quia quòd Christus solueret Deum ea obligatione, tantum attulit actum externum Christi, quo renuntiaret illi iuri: quòd autem Christus eligat mortem, assertur Deo & actum ipsius Christi vt hominis, quo voluit acceptare mortem, & infinitos alios inde secutos: attulit mortē ipsam Christi, cuiusque fructus: quibus careretur nisi Christus, vellet mori. quæ obiecta habent plures & maiores bonitates, in quibus Deus sibi complacet magis.

§. 205. Objecis Secundò: Deus non facit tanti mortem Christi, vt pro illa det gratiam ex iustitia: quia mors illi non magis placet quàm non mors. Respondeo, posse aliquid placere Deo magis, quàm aliud, licet neutrum præcipiat: quia potest nolle obligare nos ad id quod melius est. ex quo capite plurius facit Deus mortem non præceptam, quàm eius carentiam. Igitur si Christus potuit velle quod minùs bonum est; elegit omnino liberè mortem quæ grator est Deo.

§. 206. In sententia verò negante posse Christum sequi quod minùs placet Deo, Respondeo Christum ex duobus obiectis æquè placentibus Deo, elegisse quod ex se melius est, & in quod in esse possibili Deus sibi magis complacet, & quod cedit in maiorem Dei gloriam, & animarum salutem. & quamuis Deus in ordine ad existentiam hæc obiecta non amet magis quàm opposita; adhuc Christus ex amore Dei eum impellente ad maius Dei nostrumque bonum ea elegit, quæ possunt esse materia commutationis propter maiorem suam intrinsicam bonitatem.

SUBSECTIO VII.

Examinantur alia duæ conditiones.

§. 207. **S**uper sunt examinandæ alia duæ conditiones. Prima est, Vtrum obsit satisfactio-

ctio-

Sec̃. XIII. *Vtrũm Deo repugnet iustitia ratione abdicationis dominij.* 117

ctiõni ex iustitia quod satisfactio indigeat acceptatione libera creditoris : inde enim impugnant aduersarij satisfactionem ex iustitia. Quia verò hæc difficultas tam vrget iustitiam Dei in nos , quàm nostram in Deum , eam rejicio in sectionem 13. à §. 221.

§. 208. Secunda conditio est, satisfactionem Christi fuisse ex gratia creditoris. Breuiter respondeo, gratia omnino antecedenti, & quæ nihil habet nostri, impediri contractum ex iustitia: sicut donatio facta debitori à creditore non potest esse materia contractus aut satisfactionis; at verò bona ex ea gratia secuta possunt esse materia contractus. Ita actus liber supernaturalis, quamuis est ex gratia antecedenti, est etiam ex gratia comitante, cum qua nos operamur liberè, ex quo capite ea opera sunt nostra. quod satis est ad contrahendum ex iustitia quam impedit gratia, cum negatione nostræ industriæ: quando verò hæc adiungitur gratiæ creditoris, non obest iustitiæ. Ego enim possum negotiari pecunijs alienis, inò cum ipsarum domino: quia quamuis mihi sit gratia in dandis pecunijs mutuis, at negotiatio habet aliquid mei: quod licet pendet ex gratia dantis pecunias mutuas; tamen quia meum est, potest esse contractus materia. Neque obest negotiatio esse causam principalem, pecuniam verò instrumentum: quia homo est causa principalis actuum liberorum, quamuis gratia Dei est magis principalis. Ne autem de voce pugnemus, certum est hominem in actibus liberis supernaturalibus non esse inanime instrumentum, sed liberum; ratione autem libertatis habet dominium in eos actus. Alia solent disputari quæ ex dictis facillè solues.

SECTIONE XIII.

Vtrũm Deo repugnet iustitia ratione abdicationis dominij?

§. 209. **P**ercurramus conditiones, quæ ex parte creaturæ possunt obesse satisfactioni ex iustitia, nunc occurrunt disputandæ quæ ex parte Dei eidem satisfactioni possunt obesse. Animaduerte omnem actum creaturæ habere imperfectionem communem alijs creaturis: vt pendere à Deo esse accidens, & includere motum. Hæc autem omnia possunt ei contingere ex conceptu creaturæ, aut ex modo tendendi in obiectum. vt contingit amoris nostro in Deum: qui imperfectus est, non propter obiectum, sed propter modum illud attingendi. Alias autem imperfectiones habent nostri actus ratione obiecti; quod arguit imperfectionem in ipso amante. Quod patet in temperantia, cuius obiectum formale est modus in actionibus spectantibus ad vultum & tactum. quæ obiecta arguunt imperfectionem in ea amante per temperantiam, quia significant ea esse in suo amatore. Est igitur quæstio, vtrũ obiectum iustitiæ arguat imperfectionem in volente eam seruare; an verò possit sine imperfectione amari atque seruari? vt Deus potest sine imperfectione amare hominum salutem; ita rogo, vtrũ possit amare honestatem iustitiæ seruandæ ab ipso?

§. 210. Multi censent iustitiam vt sic includere imperfectionem: quia est voluntas abdicandi do-

minium ab illo qui eam seruat: abdicatio autem *S. Thom.* dominij non potest esse absque imperfectione abdicantis. vnde rectè concludunt, repugnare Deo iustitiam. *Recognosce sect. 5.* vbi latè probaui posse dominium esse perfectum apud duos pro vno instanti: sub sectione autem 2. idem probaui contingere posse Deo & creaturis pro tota æternitate. *Infra verò sect. 15. subsect. 2.* latè probabo, ad iustitiam distributiuam non requiri abdicacionem dominij etiam inter homines, neque vt transferatur in eum qui donatur præmio, vt neque in iustitia vindicatiua. Ostendam item *sect. 16. subsect. 3.* ad iustitiam commutariuam seruandam à Deo non solum non esse necessariam abdicacionem dominij, sed neque eius translationem in creaturas aduersus ipsum Deum. Quæ hinc moneo ne quis arbitretur ea esse præterita.

SECTIONE XIV.

Vtrũm qui ex iustitia remittit, teneatur absque pacto accipere satisfactionem?

§. 211. **I**oannes Medina censuit repugnare Deo peccatum ex iustitia stricta remittere. Quia non potest aliquis ex iustitia remittere iniuriam, nisi teneatur absque pacto accipere satisfactionem: sed Deus non tenetur accipere satisfactionem Christi sine pacto; ergo non potest iniuriam remittere ex stricta iustitia. Maior patet, quia satisfactio ex iustitia extinguit debitum ex se independentem à noua creditoris voluntate. qui oblata satisfactione sufficienti non potest exigere aliam; sed tenetur aliam non exigere. Quod patet in restitutione: si enim ego passus sum furtum centum aureorum; si mihi offerantur, non possum alios exigere. idem patet in iactura honoris. Hanc sententiam cum pluribus antiquis sequitur P. Vasquez tota disp. 9.

SUBSECTIONE I.

Deus potuit non acceptare satisfactionem Christi.

§. 212. **C**hristi satisfactio non eguit acceptatione supplente defectum valoris; quaeritur autem, vtrũ Deus ob solam Christi oblationem teneretur remittere iniurias? S. Bonauentura in 3. dist. 20. q. 5. Sorus in 4. dist. 19. q. 1. art. 1. P. Valent. tom. 3. disp. 1. qu. 1. puncto 5. versu *Ego verò.* Cabrera disp. 7. §. 6. n. 63. & alij; existimant non potuisse Deum absolute rejicere satisfactionem Christi: eam enim oblatam nisi acceptaret, faceret aliquid se dedecens. Sic censent hi auctores eam fuisse ex iustitiæ rigore. Non multum dissidet P. Ragusa disp. 21. §. 3. vbi ait, supposito quod Christus est nostrum caput, non esse opus noua acceptatione ad remissionem iniuriæ, quamuis docet eam fuisse necessariam ad restitutionem amicitiae.

§. 213. Probari autem potest hæc opinio Primum auctoritate S. Anselmi li. 2. *Cur Deus homo*, c. 19. his verbis: *Eum autem, qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non iudicabis: imò necesse esse video, vt Pater Filio retribuatur: alioquin aut iniustus esse videretur, si noller, aut impotens, si non posset. Quæ aliena sunt à Deo.* Respondeo, Anselmum non egisse de

S. Thom.
q. 1. a. 2.

necessitate absoluta admittendi satisfactionem excludo pacto, sed supposito. Quia eo cap. 19. commendat iustitiam Christi ut hominis, qua satisfecit Deo: cap. autem 20. commendat iustitiam Dei in reddendo præmio pro Christi morte: item & misericordiam in pacto incundo cum hominibus, quo illis dabat Christum, ut per eius opera soluerent ex iustitia quod debebant. *Quid misericordius (inquit Anselmus) intelligi valet, quam ut peccatori tormentis æternis deputato, & vnde se redimat non habenti, Deus Pater dicat, Accipe vnguentum meum, & da pro te?* His verbis docet Anselmus pactum Dei cum hominibus de acceptanda morte Christi pro peccatorum remissione.

§. 214. Secundò probatur eadem opinio: tunc est necessariò acceptanda compensatio, quando respui non potest, nisi contra rectam rationem: satisfactio Christi respui non potest, nisi contra rectam rationem: ergo eam acceptat Deus necessariò. Minor probatur, ex parte offerentis, qui est Deus, cuius opera sunt infiniti valoris: item ex parte rei oblata, qui est ipse Deus: tandem ex parte eorum pro quibus offertur, qui sunt eiusdem naturæ cum Deo ut homine & offerente. Nego Minorem, quia Christus potuit offerre omnia sua opera in gratiarum actionem, aut titulo dominij Dei in humanitatem: tunc autem Deus nihil ageret contra rectam rationem, quia ipse vteretur iure suo, in exigendis operibus Christi solo titulo dominij, aut gratiæ, siue gratitudinis. qui duo tituli, si reddunt debita Deo omnia opera Christi, soluunt ipsum Deum obligatione conferendi beneficium alijs hominibus, in quos possit exercere ius vindictiuium, & quemadmodum nunc multi pereunt, possent perire omnes.

§. 215. Tertio probatur. Quamuis non tenemur admittere satisfactionem, nisi à persona offendente; at in Christo tenetur Deus: quia quando offendens non est soluendo, & alius constituitur eius caput vel quasi procurator; tunc censetur moraliter ipse satisfacere, ex adagio communi *Id possumus quod per amicos possumus.* Hæc autem reperitur in Christo satisfaciente pro nobis. Confirmatur. Restitutionem factam nomine latronis tenemur admittere: ergo & satisfactione factam nomine iniurij.

§. 216. Siquid hæc probant, probat maximè Deum absolutè teneri ad acceptandam satisfactione. Primum ab exemplo latronis: à quocumque enim offerantur bona quæ furto fuerant direpta, tenetur dominus illa accipere; sin minus, censetur debitum condonare, ad quod non est opus ut restituens sit procurator caputue latronis. ratio est, quia dominus non habet ius aduersus latronem, nisi ratione rei acceptæ, quia constituta est inæqualitas inter vtrumque. quæ inæqualitas aufertur restitutâ quantitate pecuniæ ablata, per quam domino resarcita sunt damna, quæ adeò sunt vera, ut latro iam non teneatur de damno dato. Titulus ergo iustitiæ tantum manet ad tollendam inæqualitatem relictam, & damnum datum. his ablatis non manet ius iustitiæ commutatiue ad restitutionem vel satisfactionem; manet tamen in iudice titulus vindictiuius: cui locus est etiam post restitutionem & satisfactionem, ut patet in latrone in patibulum acto post furta restituta.

§. 217. Deinde illa antecedens constitutio capitis, vel est in ordine ad tollendam iniuriam, vel est

ad aliud. Secundum est per accidens: si primum, ergo iam illa est conditionalis admissio libera. quia si ego volo te constituere caput Petri, ut pro illo satisfacias mihi, iam liberè admitto à te satisfactionem pro Petro: tunc autem ratione constantiæ & fidelitatis teneor ad satisfactionem tuam acceptandâ, si eam mihi offeras: ut teneor ad quodcumque opus, non malum, de quo intercessit pactum: ergo non ex vi satisfactionis, sed promissionis & constantiæ teneor satisfactionem admittere: ergo illa satisfactio non extinguit ex iustitia debitum independentè à libera acceptatione creditoris.

§. 218. Neque capio quid intersit, quòd offendens sit vel non sit soluendo. Quia Deus à te admittitur non teneri ad acceptandam satisfactionem oblatam ab alio, quando debitor est impos ad soluendum, nisi pactum intercedat: at si pactum intercedat, tenetur Deus acceptare satisfactionem, etiam si debitor possit eam offerre: ergo quòd debitor possit, vel non possit, per accidens est.

§. 219. Tandem, etiam si homo posset offerre pro se actum tantum valentem, quantum iniuria, Deus non teneretur peccatum remittere: ergo multò minus si offeratur ab alio. Probo antecedens, quia in iniuria reperitur duo: Primum est ipsa ratio iniuriæ acceptæ: latè pro offensione. Secundum est, damnum honoris inde relictum. Pro hoc secundo tenetur creditor acceptare satisfactionem, pro primo non tenetur, neque ad remittendam iniuriam, neque ad reconciliationem; sed potest cum illo agere apud iudicem. ut ego possum non cessare ab actione, & petere à iudice ut ipse potestate publica penas infligat iniurio. Non disputo nunc de odio & malevolentia: quæ tenemur ex charitate deponere.

SVBSECTIO II.

Questio dirempta.

§. 220. **I**am dixi §. 111. & insinuavi §. 219. considerari posse læsionem honoris relictam ex peccato blasphemix per malam opinionem conceptam contra bonitatem Dei, ut si Antonius persuasit alicui Deum esse crudelem. Potest item considerari sola ratio iniuriæ latè acceptæ, quæ manere potest læsione ablata. Quemadmodum, si blasphemus sine contritione perfecta, aut Sacramento confessionis, dissuadeat Antonio Deum esse crudelem; hic abstulit malam opinionem de Deo, & inæqualitatem in honore relictam ex blasphemix; at non abstulit rationem iniuriæ, quia Deus illi est grauiter offensus. Item, si aliquis alium appellauit Iudæum; deinde conceptam de iudaismo opinionem aboleat palinodia; adhuc manet obnoxius pœnis à iudice inferendis pro contumelia proximo illata.

§. 221. Dico Primò: A quocumque tollatur honoris læsio, debet admitti satisfactio, neque ad eam respiciendam, aut ad exigendam aliam, manet ius, si præcisè consideretur ad hunc effectum. Itaque si Deus passus est iniuriam honoris, quia Antonius per blasphemix persuasit Francisco Deum esse crudelem; si deinceps Antonius persuasit Fran-

cisco

cisco Deum minimè esse crudelem, tenetur Deus eam satisfactionem admittere: imò si Deus se solo eam blasphemam opinionem aboleat de Francisci mente, non potest exigere nouam satisfactionem ad illum effectum. Ratio à priori, quia titulus iustitiæ ad satisfactionem & restitutionem non durat, nisi cum inæqualitate honoris & fortunarum relicta contra ius: est enim ad tollendam inæqualitatem & damna: tunc autem nullum est, ob quod rectè dixit P. Vasquez, satisfactionem ex iustitia talem esse, ut ea vi sua independenter à voluntate creditoris extinguat debitum, & in creditore ius ad exigendam aliam, quæ intellige de damno relicto.

§. 222. Dico Secundo: Deus nulla ratione tenetur ad admittenda opera Christi, ut pro illis peccata dimittat, aut gratiã condonet. Hæc est communis opinio, neque opposita nititur ratione, aut auctoritate Sanctorum, à qua non est difficile Bonauent. vindicare. Probatur de collatione gratiæ: in qua conferenda est nouus contractus distinctus ab honoris instauratione: ergo opus est noua voluntate libera ad illum ineundum. Consequentia patet, quia omnis contractus nouus pender à noua voluntate. Antecedens probatur Primùm in humanis. Si Antonius imposuit Petro crimen, tenetur Petrus accipere satisfactionem, qua instauretur honor, si offeratur: at non tenetur admittere Antonium in suam familiaritatem, quia familiaritas est distinctum beneficiũ, quod non debetur propter solam instaurationem honoris adempti contra ius. Secundo, ratione: quia separabilia sunt hæc duo. Quia potuit Deus creare hominem in pura natura, qui in ea potuit esse blasphemus, & alijs persuadere blasphemiam, quam postea potuit emendare persuadens alijs bonam de Deo opinionem. quod Deus acceptaret necessariò, quia iam esset adempta inæqualitas in honore, ut sæpè dixi: at tunc non esset conferenda gratia sanctificans, quæ pugnat cum statu puræ naturæ: qui status dicit carentiam supernaturalium. Item, in natura eleuata potest pura creatura satisfacere ex iustitia læsioni honoris diuini retractans blasphemiam. quod non sufficit ad impetrandam gratiam: ergo diuersi contractus sunt collatio gratiæ & satisfactio honoris.

§. 223. Obijcis: Deus tenetur ad remittendam iniuriam oblatã satisfactione æquali: sed iniuria non potest remitti nisi infusa gratia: ergo Deus tenetur ad infundendam gratiam. Respondeo, Maiorem syllogismi esse falsam, ut constabit §. 224. Minor non est vera, ut ostendi disputans de iustificatione. Deinde argumentũ retorqueo. Deus non tenetur ad conferenda sua dona, & admittendum hominem in suam gratiam: sed per te remissio peccati includit ea dona: ergo non tenetur Deus ad remittenda peccata. Quo differt creatura, quæ potest remittere suas iniurias, quin iniurio donet suam amicitiam & gratiam. Quando igitur argumentum teneretur in creaturis, quæ oblatã satisfactione tenerentur ad remittendas iniurias, non valet in Deo, qui ex his auctoribus non potest eas condonare, nisi per gratiam sanctificantem, ad quam conferendam Deus non tenetur.

§. 224. Secundo probatur conclusio è §. 222. quod attinet ad remissionem peccati factam sine gratia sanctificante: remissio iniuriæ latè acceptæ

est distinctus contractus à redintegratione honoris, & restitutione pecuniarum: ergo oblatã satisfactione non tenetur Deus ad remittendam iniuriam. Consequentia patet ex §. 222. quia semper nouus contractus nouam voluntatem includit. Antecedens probatur. Primùm, quia satisfactio & restitutio præcisè versantur circa instaurationem honoris, aut fortunarum: sunt enim ad reparanda dāna in eis bonis illata: quibus reparatis iam non est locus ad satisfactionem in eo genere, sicut neque ad restitutionem. Ob quod oblatã sufficienti satisfactione & restitutione, non manet ius in creditore. at non propterea tenetur ex iustitia creditor ad deponendam acerbiter & auersionem animi: non enim peccat contra iustitiã proximi, tametsi eas non deponat: est ergo diuersus contractus. Confirmatur in pura natura, & in eleuata. Homo enim existens in peccato mortali, potest satisfacere Deo pro læsione honoris per blasphemiam adempti. Si enim quis persuasit alicui Deum esse crudelem, satisfacit huic damno persuadens Dei mansuetudinem cum crudelitate pugnantem: neque enim ad reparandum illud damnum aliud exigitur: quia totum illud est in mala opinione blasphemii concepta de Deo: quæ abolitã cessat damnum illud. At illa retractatio non est satis ad impetrandam remissionem peccati: igitur sunt distincti contractus.

§. 225. Obijcis: Nos tenemur deponere odium oblatã satisfactione: ergo & Deus. Respondeo, personas priuatas non posse licitè concipere odiũ in proximos, neque post, neque ante satisfactionem: at Deus illud concipit licitè. nos item possumus habere displicentiam in iniurium, & voluntatem cum illo agendi apud iudicem, quæ non tenemur deponere: sed possumus præter redintegrationem honoris petere à iudice satisfactionem pro contumelia: quæ possunt licitè peti. Cum igitur Deus perfectò odio insequatur peccatores, non tenetur illud deponere, quantumuis offeratur satisfactio honoris adempti; sed potest retinere suum ius ad inimicitiam & vindictam.

SUBSECTIO III.

Ad argumentum.

§. 226. **A**D argumentum ex §. 211. distinguo Maiorem. Non potest aliquis remittere iniuriam ex iustitia nisi teneatur sine pacto accipere satisfactionem, quando satisfactio est ad redintegrandum honorem iniuste ademptum, cõcedo Maiorem: quia hæc satisfactio & restitutio hac in parte sunt rationis eiusdem. quando verò satisfactio non est ad hunc effectum, sed ad tollendam rationem iniuriæ latè acceptæ, & remittendum peccatum, nego Maiorem. Sunt enim hæc duæ satisfactiones valde diuersæ: differunt enim, quòd prior præcisè durat cū damno dato in honore aut fortunis, quibus reparatis cessat obligatio compensationis: posterior autem non est nisi ad tollendam displicentiam vnus creaturæ in aliam, odiumque Dei in peccatorem. quæ simul cum titulo ad vindictam non possunt auferri sine noua voluntate. Quia verò P. Vasquez non distinxit inter has duas satisfactiones, ab altera argumentum duxit ad alterã: quod multos traxit, multos etiam

S. Thom.
q. 1. art. 2.

vexavit. Minor eadem ratione est distinguenda: Deus enim necessariò & sine pacto admittit satisfactionem honoris adempti blasphemè: quia abolitâ malâ de ipso opinione non manet ius ad novam satisfactionem exigendam ad effectum illum: quia iam cessavit damnum extrinsecum, quod auferri potest ab existenti in peccato mortali: at non tenetur Deus iniuriam remittere, & titulum inimicitiae iustaeque vindictae. quod patet in iudiciis animaduertentibus in latronem factâ etiam restitutione.

SECTIO XV.

De iustitia distributiva.

§. 227. **A**D probandum, Deum in remittendis peccatis non posse exercere iustitiam propriè sed impropriè dictam, latè probare nititur P. Valqu. in Deo nullam esse speciem iustitiae propriæ; idque Primùm probat de distributiva. De qua concertant Theologi: quorum dissidijs præmitto quæ sentio: quia commodius ad totam quæestionem tractandam.

SUBSECTIO I.

Quid sit iustitia distributiva?

§. 228. **D**ico Primò. Iustitia distributiva habet pro obiecto formali dare unicuique bonum illi debitum pro dignitate suæ personæ: titulus iustitiæ commutatiuæ non est dignitas personæ, sed sunt res quæ dantur & accipiuntur. Ex. gr. ego pacifcor cum rege equum pro argento; non est hic consideranda regia dignitas & vilitas vasalli, sed valor equi & argenti: contra verò quando agitur de distributione bonorum, non sunt consideranda res quæ dantur & accipiuntur, sed considerantur res quæ dantur, & personæ quæ illas accipiunt.

§. 229. Vbi considera, aliquando dignitatem personæ pertinere ad iustitiam commutativam; non vt per se in illa sistatur, sed vt ex illa consideretur valor operum aut rerum: quia labor nobilium est maioris æstimationis quàm ignobilium, quibus pro eodem genere militiæ inæqualia penduntur stipendia. Item eadem detractio honoris æqualis materialiter, est formaliter grauior in nobili quàm in ignobili; vt si quis dicat alicui nobili, & plebeio, *mentiris*, grauius æstimatur in nobilem quàm in plebeium. Igitur vt ex multis capitibus expenditur rerum valor, vt ex caritate, aut longitudine viæ, & alijs adiunctis, ita aliquando ex dignitate personæ. E contra verò iustitia distributiva considerat interdum rerum valorem, non propter ipsas, sed quia constituunt in persona dignitatem maiorem. quæ dignitas vt accipitur ex multis capitibus, ita aliquando ex operibus ipsis: magis enim æstimatur persona militis strenui quàm ignaui.

§. 230. Sic explicata assertio, est ipsissima Aristotelis doctrina §. Ethicor. c. 3. agentis de iusto distributiuo his verbis: *Hinc pugna nascuntur, incusationes atque querela, cum equi non aqua, aut aqua non equi habent aut potiuntur. Id ita esse ex eo quod pro dignitate fit, constat. Iustum enim quod in distributione vt est, omnes vno ore pro dignitate quadam oportere esse dicunt,*

ipsam tamen dignitatem non eandem omnes inquirunt esse: sed populares quidem libertatem, pauci verò potentes opulentiam, nonnulli nobilitatem, optimates verò virtutem. iustum ergo rationem quamdam comparationum subit. Ob quod. c. 5. dixit in distributiva iustitia non esse contrapassum. Quod dixit etiam S. Thom. At verò in distribuendis bonis communibus pro operibus, prout sunt opera & non dignitas personæ, est contrapassum, vt patet in stipendio: miles enim patitur laborem pugne, respub. verò carentiam pecuniarum. Ergo distributiva iustitia non considerat formaliter opera, sed dignitatem personæ, quæ non est contrapassum.

§. 231. E quibus liquidò constat, iustum distributiuum versari circa personas propter earum personalem dignitatem: quæ colligitur ex comparatione libertatis, opulentiae, nobilitatis atque virtutis. iustum autem commutativum versatur circa res ipsas, nullâ aliunde factâ comparatione nisi quæ pertineat ad earum valorem; vt inter equum & argentum, inter laborem & stipendium, inter læsionem & instaurationem.

§. 232. Hoc docuit S. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. *Alia*, inquit, *quæ consistit in distribuendo, & dicitur distributiva iustitia, secundum quod aliquis gubernator vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem.* Neque obest quod aliqui obieciunt, non excludi à S. Thom. proportionem geometricam: quia quamuis eam non excludat, vult tamen eam fieri in dignitate, non in rebus nisi vt ad dignitatem spectant. Hinc defluxit commune prouerbum Theologis & Philosophis moralibus, iustitiæ distributiæ munus esse vnum quemque in suo ordine collocare, id est, ne sit in loco superiore aut inferiore sua dignitate, ne aut ipse sedeat indignè, aut indignè possideatur locus.

§. 233. Doctrinam eandem docuerunt Scholastici grauissimi tam antiqui, quàm recentes referendi §. 271. quos imitati P. Suarez disp. de Iustitia Dei sect. 3. n. 14. & 15. P. Lessius lib. 2. c. 1. n. 21. cum P. Valentia & alijs plerisque. quam non obscure dixit Areopagita c. 8. de Diuinis nominibus, his verbis: *Laudari diuinam iustitiam, quia omnibus distribuit secundum dignitatem.* Vbi laus iustitiæ distributiæ Dei petitur à partitione bonorum secundum dignitatem personalem & rerum quibus donantur. Neque disputo nunc, vtrum admittat in Deo iustitiam distributivam propriè, an latè: sed dico, eam quam admittit, qualiscumque sit, esse ad distributionem bonorum secundum dignitatem. Vnde concludo, obiectum formale iustitiæ distributiæ esse reddere unicuique secundum dignitatem personalem, tam liquidò constare ex Sanctis, Theologis, & Aristotelica definitione, vt nullus possit dubitare nisi qui nouas mediteretur.

§. 234. Ratione probatur. Distribvere bona communia ex dignitate personarum, est obiectum per se bonum, & amabile honestè propter ipsum: hic autem amor est iustitiæ distributiæ, & non alius virtutis: ergo obiectum formale iustitiæ distributiæ, est reddere unicuique secundum dignitatem personarum propter ipsum. Ad multas virtutes potest spectare hac reddidit, vt obiectum secundarium: at verò vt primarium & formale, non nisi ad vnam, quam ego cum Aristot. & S. Thoma appello *iustitiam distributivam*. Maior propositio est per se nota: quia dignitas personæ exigit nonnulla bona

bona quæ non quadrant in personam indignam. quod adeo est per se notum, vt hinc oriatur inculationes atque querelæ, vt ex Aristot. dixi §. 230. Est igitur iuxta naturam rationalem, rectum quæ dictamen, dare unicuique secundum dignitatem: alioquin omnia censentur esse turbata, & loco mota, si digno dentur indigna, aut digna indigno. quod patet exemplo Dei distribuentis gloriam pro dignitate gratiæ sanctificantis, etiam si non considerentur opera, vt patet in Christo & pueris. Quod si Christus, eiusque mater & Apostoli, agerent nobiscum, nonne in bonis communibus præferrentur honestè cæteris hominibus pro sola dignitate personali? in humanis autem non cernitur passim in principibus, qui adhuc non pollent ratione.

§. 235. Minor probatur, nempe virtutem hanc esse iustitiam distributivam, quia unicuique reddit iustum, id est, æquale suæ dignitati: dat enim quod debetur, includit item aliquod debitum: peccarent enim principes contra distributionem bonorum communium, si nunquam redderent de bonis communibus iuxta personarum dignitatem. Vt item est iustitia vindicativa, quæ reddit unicuique secundum demerita, licet in eo qui punitur non sit ius ad talem pœnam; est tamen dignitas: & quia virtus infligit pœnas pro illa dignitate, id est iustitia. eadem ratione licet in accipiente præmiam non sit ius strictum; quia tamen est dignitas, id est virtus tribuens secundum eam dignitatem est iustitia.

§. 236. Obijcis: Obiectum vindicatiuæ iustitiæ est punire pro dignitate mali meriti: ergo & distributiua dare præmium pro dignitate meriti, non verò personæ. Respondeo, pueros in limbo puniti pœna damni, non pro malo merito personali, sed pro habituali originali, quo illorum personæ constituuntur indignæ visione Dei: quemadmodum innocentes baptizati sunt digni visione Dei, pro habitu gratiæ sanctificantis. Exercens igitur Deus iustitiam vindicatiuam in pueros, seruat modum distributiuæ iustitiæ; non aliter ac cum sanctis paruulis. Secundò respondeo, iustitia distributiua considerari etiam merita, vt ex illis accrescit dignitas personæ operantis, vt dixi §. 228. & 229.

SUBSECTIO II.

*Iustitia distributiua est ad vnum; item
& ad plures.*

§. 237. Nonnulli acriter inuesti in P. Suarez, quòd constituit iustitiam distributivam in donando præmiò vni dumtaxat personæ, aiunt hoc dici ex cranio, sine auctore, & sine fundamento. At certè S. Dionysius adductus §. 233. non agnouit iustitiam distributivam in Deo, nisi quia ille omnibus distribuit secundum dignitatem: ergo si consideretur dignitas vnius rei dumtaxat, eique dentur bona congruentia eius dignitati, dabuntur secundum dignitatem. Idem colligitur apertè ex Aristot. 5. Ethic. cap. 4. constituyente discrimen iustitiæ commutatiuæ à distributiua: virtus enim exemplo vnius hominis, cuius consideratio non spectat ad commutatiuam: quia hæc non considerat personam, sed res: ergo ex Aristot. vnus homo spectat ad iustitiam distributivam.

§. 238. At obijciunt Aristotelem 5. Ethic. c. 3.

asserentem iustitiam distributivam versari circa iustum geometricum facta comparatione rationum. ^{s. Thom. q. 1. art. 2.} Constituit exemplum inter Aiacem & Achillem, & inter munus Aiacis & munus Achillis: eam quæ dicit esse inter quatuor terminos, nimirum vt eodem pacto se excedant aut æquent munus Aiacis, & munus Achillis, quo se habent mutuo ipsi Achilles & Ajax. Item cap. 4. ait semper in distributiua considerari hanc rationum comparationem; quam vocat *æqualitatem geometricam*. Respondeo, ab Aristot. non excludi iustitiam distributivam respectu vnus, sed potius admitti. Primùm, quia eo cap. 3. cum ostendisset dignitatem personalem conijci ex comparatione diuersarum rationum, ait eam rationum comparationem vocari *geometricam*. Itaque comparatio aliqua geometrica semper est in iustitia distributiua: at non est semper necessaria inter duas personas, earumque munera; sed inter rationes pertinentes ad dignitatem personæ, & munera ipsius personæ: vt geometricè respondeat munus rationibus dignitatis. At P. Vasquez omitta hac geometrica proportione inter comparationem rationum dignitatis & munera, abripuit comparationem geometricam inter diuersas personas, earumque munera. Secundò respondeo cum P. Suarez Aristot. egisse de distributiua in ordine ad ciuitatem conseruandam, ne sint querelæ & incusationes, vt patet ex c. 4. quia nisi esset bonorum distributio, non posset resp. conseruari. Hoc autem non tollit quin eadem virtus retribuatur vni dumtaxat: nec intolens est philosophis ab vno actu celebriori explicare totam virtutem, quia ex illo conijciuntur cæteri, vt dixi de virtute spei, quæ explicatur per sperationem, cum tamen plures alios actus exerceat. Consideretur vtrum sit obiectum idem in vno, ac in multis? si est idem, erit virtus eadem; diuersa verò, si obiectum non sit idem.

§. 239. Esse idem obiectum in pluribus & in vno, probatur. Primùm, ab exemplo iustitiæ commutatiuæ, quæ interdum soluit debitum vni dumtaxat, interdum verò pluribus per geometricam proportionem: si enim sint plures creditores cum eodem iure, neque de bonis debitoris possint debita integrè solui, debent diuidi proportione geometrica: si enim Petro debentur centum, Antonio verò quinquaginta; si Petro soluuntur quinquaginta, debent Antonio solui viginti quinque: quia sicut debitum Petri est duplo maius, ita & solutio est duplo maior solutione Antonij. Hæc autem solutio pertinet ad iustitiam commutatiuam: quia ius non mutatur pro diuersitate personarum, sed potius vt seruetur unicuique ius suum, indiget illa geometrica proportione. vbi autem ius est idem, iustitia non est diuersa: quia obiectum formale iustitiæ commutatiuæ est seruare unicuique ius suum: ergo etiam iustitia distributiua potest versari circa vnâ personam tantum. Probo consequentiam, quia sicut multitudo personarum, & geometrica proportio, non mutat iustitiam commutatiuam; ita neque vnitas personæ, & carentia proportionis inter multas, mutabit iustitiam distributivam. Probo consequentiam, quia formale obiectum distributiuæ reperitur in vna persona sine illa proportione geometrica, sicut formale obiectum commutatiuæ reperitur in pluribus cum geometrica proportione: ergo non mutatur. Probo antecedens, quia formale obiectum distributiuæ est dare singulis secundum

s. Thom.
q. 1. art. 2.

cundum dignitatem, sicut commutativam dare secundum ius. Et quidem manca esset virtus, nisi singulis posset solvere in quibus reperitur eius obiectum.

§. 240. Secundò probatur conclusio, & explicatur primum argumentum. Dignitas personæ est titulus iustitiæ distributiæ ad soluendum, ut ex Aristot. dixi §. 230. sed in vno dumtaxat potest esse dignitas personæ ad bona communia sine comparatione ad alios: ergo est titulus iustitiæ distributiæ sine tali comparatione. Probat Minor, tum ex subsect. 1. tum exemplo: David propter decollatum Goliathum habuit dignitatem ad bona communia, in quo facinore nullum habuit socium, cum quo posset fieri comparatio & supputatio rationum. Scævola perterruit Postumam, & patriam eripuit ab hoste cremata manu cum stupore regis: hic dignus fuit præmio ex bonis communibus. Tandem à priori, quia ideo fit inter plures comparatio geometrica, ut singuli accipiant secundum dignitatem; sicut aliquando fit per iustitiam commutativam, ut singuli accipiant secundum ius. Ut igitur ius est formale obiectum commutativæ, siue disquiratur ius per geometricam proportionem, siue absque illa: ita obiectum distributiæ est dignitas personæ, cum eadem proportionem, & sine illa.

§. 241. Dices, obiectum distributiæ non esse dignitatem personæ utcumque, sed comparatam cum alijs. Contrà: Comparatio videtur esse per accidens, per se autem est dignitas personæ: ad quam afficiendam bono condigno opus est illa comparatione, sicut aliquando est necessaria ad reddendum alicui secundum ius, ut dixi §. 239. finis ergo proportionis in commutativa est ius, in distributiva verò est dignitas personæ. Si ergo absque proportionem geometrica inter plures constat de dignitate personæ, sicut constat de iure; non erit necessaria illa proportio ad soluendum secundum dignitatem, sicut nec ad soluendum secundum ius. Pone, Romæ consultum de Scævola afficiendo præmijs, & Hierosolymis de Davide, eisque decreta aliqua bona communia pro dignitate; eorum solutio est iustitiæ distributiæ, quia non spectat ad aliam virtutem.

§. 242. Dices, eam spectare ad commutativam: quemadmodum solutio pecuniarum pluribus creditoribus secundum proportionem geometricam (cuius memini §. 239.) pertinet ad iustitiam distributivam. Contrà: Scævola & David caruerunt titulo iustitiæ commutativæ: ergo illis non potuit solvi ex ea iustitia, sed ex distributiva. Probo antecedens: quia illi milites acceperunt stipendia ex pacto: militi enim debentur stipendia pacta ex iustitia commutativa, non minus quam operis mercenarijs debentur stipendia diurna, quæ si negentur debent restitui à principe vel repub. quia fundantur in stricto iure: propter quod militi competit actio adversus principem ad stipendium, sicut mercenario adversus eum à quo est conductus. At verò militi non debentur præmia ultra stipendium titulo commutativo. cuius apertum signum est, militi non competere actionem adversus principem, neque hunc teneri ad restitutionem: ergo non est actus iustitiæ commutativæ, sed distributiæ. Ratio à priori, quia non mutatur obiectum formale.

§. 243. Altera verò solutio pecuniarum per

geometricam proportionem debitarum, cuius memini §. 239. & 242. non pertinet ad iustitiam distributivam, sed ad commutativam: quia illa proportio geometrica eligitur ut medium ad disquirendum ius, ratione cuius debeatur hic & nunc certa quantitas: obiectum autem formale idem est, nempe ius strictum obligans ad restitutionem, fundatum in rebus ipsis, non verò in dignitate personæ. Itaque ius illud est hic & nunc ad certam quantitatem minorem, quam quæ absolute debetur. Absolute enim debentur centum aurei ex gr. hic autem & nunc non debent solvi nisi quinquaginta: quia ius illud ad centum secundum se, non obligat hic & nunc nisi ad quinquaginta. Quapropter hic & nunc absurdè reuocatur solutio ad aliam virtutem: ut si hic & nunc debitor non haberet nisi quinquaginta aureos, non teneretur hic & nunc plures reddere; redderet tamen ex iustitia commutativa: ergo etiam in nostro casu, quia titulus & obiectum formale est idem. Ecquis dixit tunc contra duas virtutes isti peccatum, & explicandam in confessione eam circumstantiam qua variaretur species? Constet ergo, iustitiam distributivam habere pro obiecto formali reddere unicuique secundum dignitatem personæ, siue comparatur cum alijs, siue sola consideretur: quamvis actus præcipuus est in ea comparatione, quia est ad republicam rectè administrandam.

SUBSECTIO III.

Documenta moralia ex ea doctrina.

§. 244. **E** quibus primum deduco, titulum ad bona per distributionem conferenda esse minorem, quam ad commutationem. quod rectè docuit P. Suarez. Dicunt aliqui se non invenire hoc discrimen. quarant. Probatur Primum, quia titulus ad distributionem est dignitas personalis; titulus verò ad commutationem est ius in re, quod est dominium, aut ius ad rem ortum ex rebus ipsis: at inter dignitatem personalem & dominium formale vel æquivalens (quod est ius ad rem) multum est discriminis. Quia per ius ad rem, vel in re competit mihi actio adversus regem ipsam, ut det mihi tantum quantum debet: at ratione dignitatis personalis nulli competit actio adversus regem, ut ab illo per iustitiam (ut aiunt) possit extorquere quantum congruit dignitati personali. Quod discrimen apertissimum est.

§. 245. Probatur Secundò, ab effectibus: si ad eadem bona concurrant titulus distributivus & commutativus, hic præfertur: ergo non modò sunt diversi, sed inæquales. Probo antecedens, quia, si ad bona publica miles habet ius commutativum, quia militavit ex pacto stipendiorum; alius verò pugnavit egregiè sine pacto de stipendio, maximè si cesserit stipendiorum iure: præfertur miles stipendiarius in quantitate stipendij: nec potest res. publ. distribuere bona communia, quin prius solvat quæ debet ex iustitia commutativa: quia distributio iam esset de bonis alienis in parte, & esset obligatio restituendi: ergo titulus commutativus distributivo præfertur.

§. 246. Tertio probatur, ab alio effectu. Rex tenetur solvere omnia debita commutativa singulis creditoribus æqualitate arithmetica, quòries potest,

est, at non tenetur semper soluere omnia debita distributiva, quamvis possit: ergo ius distributum minus est commutativum. Probo antecedens, quia singulis militibus tenetur soluere stipendia facta, cum potest: alioquin ex genere esset peccatum graue contra iustitiam commutativam: at non tenetur bona sua regia & dignitates partiri cum singulis egregie pugnantibus: nec est in more omnes & singulos milites donare premio; est autem in more omnibus & singulis reddere stipendia, quæ in specie redduntur, ad quæ militi competit actio; quæ deficient in distributivis.

§. 247. Inferitur Secundò, republ. aut principem supremum non teneri ad restituenda bona quæ fuerant distribuenda: tenentur autem ad restituenda adempta, aut retenta contra iustitiam commutativam: ergo est versusque diuersum ius. Antecedens probo. Quia rex dicitur ut vrbem, prædam paritur per iustitiam distributivam; at potest licite non partiri prædam, sed relinquere victis, aut retinere sibi. Igitur, nisi rex promiserit prædæ partitionem, nõ peccat non partiendo, vel partiendo prout libuerit. Idè dico de capitaneo generali, si princeps eius voluntati permittit prædam, quod si rex eam ex obligatione partitur, id oritur ex pacto, non verò secundum se. Princeps item & Papa, qui prætermittis dignioribus honores & munera deferunt minus dignis, quamvis peccent in electione, tamen ad restitutionem non tenentur: secus accideret si obligarentur ex iustitia commutativa. Quæ doctrina communiter admittitur à Doctoribus: quos sequitur P. Suarez opus. de Iustitia sect. 3. num. 14. sine, P. Lessius lib. 2. cap. 34. n. 71. P. Rebellus 1. p. lib. 3. de Obligationibus iustitiæ n. 2. quamvis alij oppositum censent: quos expono, quando cum iustitia distributiva concurrat titulus commutativus, vt constabit §. 249.

§. 248. Obijcis Primùm: Ergo bona distribuenda non debentur simpliciter: ergo eorum donatio non est ex iustitia: iustitia enim vt sic versatur circa debitum. Respondeo, *debitum absolute* vsurpari frequenter pro debito commutativo afferente obligationem restituendi, in quo sensu concedo primam consequentiam, & nego secundam: quia iustitia vt sic respicit debitum abstractum à restitutione: constituit enim æqualitatem aut debitam absolute, aut secundum dignitatem. Quæ patent in iustitia vindicativa, quæ exerceri potest sine obligatione restituendi, quæ interdum potest omitti. Si autem debitum accipiatur latius, nego primam consequentiam. Si princeps numquam puniret, peccaret contra iustitiam vindicativam: ita si numquam retribueret, peccaret contra distributivam: quia supplicij & præmij respubl. administratur. At non propterea teneretur ad restitutionem: quia non peccaret contra ius strictum, sed contra dignitatem personalem cum dispendio respubl. c.

§. 249. Obijcis Secundò: Ex iustitia distributiva oritur sæpè obligatio restituendi. Primùm, si dux dividat spolia contra geometricam proportionem. Secundò, si cathedra deferatur indigno aut minus digno. Idem dico de electione ad præbendam. Respondeo, ex sola iustitia distributiva numquam oriri obligationem restituendi; quando autem oritur, est à iustitia commutativa. Ita iudices constituti à principe tenentur restituere bona quæ distributuri erant iussu principis; qui eos non

Pei. Hurtado de Mendoza de Incarn. par. 1.

constituit dominos eorum bonorum sicut ipse est, *s. Thom.* sed iudices maioris meriti. ob quod dignior accipit in eos ius iustitiæ commutativæ, quod ius accipiunt à principe supremo volente digniorem eligi, idque committente ministris. Sic expono auctores indicatos in fine §. 247. item & P. Vasquez volentem obligari ad restitutionem eum qui contra geometricam proportionem partitur spolia. Id enim est verum, quando contra voluntatem principis id fit: secus verò quando princeps partitionem commisit voluntati capitanei, vt dixi §. 247. Eadem ratione censo teneri ad restitutionem qui cathedram defert minus digno: dignior enim voluntate principis acquisiuit ius iustitiæ commutativæ aduersus iudicem: qui eo iniusto iudicio vititur bonis principis contra eius voluntatem. Est igitur restitutio facienda non principi, sed oppositori digniori. Quam doctrinam sequuntur P. Lessius cum multis lib. 2. c. 34. n. 73, & P. Rebellus 1. p. de Obligationibus iustitiæ lib. 3. q. 1. Neque arbitror tutam oppositam opinionem, vt dicam §. 252. Idemque est de electione ad præbendam per oppositionem. Vnde colligo principem in horum partitione bonorum vt iustitia distributiva, eius autem ministros commutativa.

§. 250. Tertio deduco, principem non peccare deferendo munera minus digno, si absolute deferat digno: rex enim non tenetur optimum quemque prætorem eligere; satis est si eligat bonum. Tenetur enim ad republ. bene administrandam: quod præstat per bonos ministros: iurat enim se fideliter regnum administraturum, non verò optime quod possit. Id insinuat Arist. 5. Ethicor. c. 3. *Hinc pugna nascuntur & incusationes atque querelæ, cum æqui non æqua, aut æqua non æqui habent aut potiuntur.* Cum igitur dignus honore non sit non æquus siue non iustus, sed æqualis honori; non potest dici non æquum habere æqua, sed æquum æqua habere. Huius sententiæ est Caiet. in Summa verb. *Electio officialis.* & omnes qui idem censent de beneficio Ecclesiastico. Caietano in parte consentit P. Lessius lib. 2. cap. 32. num. 22. Quod clarè colligitur ex cap. 18. Exodi. vbi Iethro dixit Moyfi præficiendos populo viros potentes timètes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam. Dum igitur hæc concurrant, non est opus ad vitandum peccatum graue querere potentiores, constantiores, &c.

§. 251. Fateor, si semper aut frequentius omittentur digniores, tunc fore peccatum graue contra iustitiam distributivam: quia ex frequenti distributione non optima imminerent respubl. grauia damna. Sic expono P. Lessiu lib. 2. c. 32. dub. 3. qui certe parum ab hac doctrina dissentit. Peccant administrati, non eligentes digniorem, aut proponentes: quia princeps ab illis exigit id manus.

§. 252. De beneficijs Ecclesiasticis exigentibus curam aut industriam, communior sententia est esse peccatum mortale digniorem prætereire. Ita censet P. Rebellus 1. p. de Obligat. iustitiæ li. 3. q. 4. n. 11. & multi apud ipsum. De Episcoporum electione res est certa ex Tridentino sess. 24. c. 1. vbi Concil. loquens de priuatis electoribus Episcoporum à Papa distinctis, ait eos teneri sub graui peccato ad optimum eligendum, vt animaduertant regum administrati, quos Hispani de *Consilio Camera* appellant, quantum onus humeris imponant. Ibi non

L agitur

S. Thom.
q. 1. art. 2.

agitur de Papa eligente, quem durum videtur adstringere semper ad digniorem: est tamen probabilis eum etiam teneri ad optimum, quia eius praefectura est diuersa à laica: est enim administratio perfecta: Episcopus enim proficitur statum perfectionis, ratione cuius tenetur hac in parte animorum providere saluti. Idem censo de Cardinalatu; ab illo enim collegio plurimum pendet Ecclesiae administratio: ut animaduertatur cum quanto periculo hac in parte indulgeretur sanguini. quod obseruat P. Lessius li. 2. c. 34. n. 64. & P. Rebellus adductus hoc §. num. 12. Quod non obscure colligitur ex eodem Trident. sess. 24. c. 1. his verbis: *Ea verò omnia & singula quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina, & ceteris qualitatibus aliis in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione S. R. Ecclesiae Cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda, quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, &c.* Perlege totum caput, ubi comperies Papam teneri iisdem legibus hac in parte, quibus priuati electores. Beneficia autem nullam curam aut industriam exigentia, satis est si dignis conferantur ab Episcopo, aut Ecclesiae principe, aut praesentatore supremo. Secus verò ab electoribus priuatis, si illis praecipitur vt eligant meliores.

§. 253. Tandem princeps supremus, item Episcopus non tenentur ad restituendum quando beneficia conferunt digno praetermissa digniori, esto peccauerint in electione. Haec est sententia communior Scoti, Ricardi, Caiet. Couarruu. Nauarri, & aliorum quos refert P. Lessius lib. 2. cap. 34. & sequitur ibi, & c. 1. fine, & cap. 32. nu. 16. P. Suarez disp. de Iustitia sect. 3. num. 14. fine, & alij. Ratio à priori, quia illis non debetur munus stricto debito dante ius in re, vel ad rem, sed debito congruentiae comparatione reipublicae.

§. 254. At verò quando beneficium datur per oppositionem, qui eligit minus dignum, aut proponit, tenetur ad restitutionem. Non dico, Episcopum teneri, sed alios ministros inferiores. Ita censent Nauarrus, Lessius, & alij: neque oppositam opinionem arbitror tutam, quamuis ab ea sit vnus aut alter Doctor. Recognosce P. Rebelleum l. p. de Obligationibus iustitiae, li. 3. q. 5. n. 5. cum plurimis apud ipsum. Probat, quia ministris inferioribus tantum committitur iudicium maioris dignitatis, item & sententia iuxta iudicium illud. Confirmatur, quia Concilium dat digniori ius appellandi: signum est ergo illum iniuriam pati, neque minus dignum acquisuisse ius in beneficium. Video hac confirmatione vrgeri obligationem Episcopi ad restituendum, quia magis dignus potest ab Episcopo appellare: qui cathedram deferunt minus digno, tenentur etiam ad restitutionem.

SVBSECTIO IV.

Discrimen iustitiae distributivae à commutativa.

§. 255. **E**X dictis colliguntur aliqua discrimina iustitiae distributivae à commutativa, quae coniunguntur ex parte obiecti. quae clarius explano. S. Thom. l. p. q. 21. & alibi discriminat has iustitias: quia distributiva versatur circa bona communia, commutativa verò circa particularia.

At certe ex bonis communibus soluntur commutativae stipendia, census, & id genus alia: Potest tamen explicari S. Thom. ex P. Lessio vocante bona communia formaliter, quae non debentur strictè, vt praemia, de quibus bonis potest respubl. pro arbitratu disponere circa iniuriam aliorum: cetera autem bona sunt communia materialiter, quia pertinent ad aetarium publicum, debentur tamen stricto iure, in quibus solvendis respubl. non differt à personis priuatis. Itaque hoc discrimen S. Thomae reuocandum est ad discrimen debiti vtriusque iustitiae, ex quo bona communia manent in potestate respubl. aut manent adstricta solutioni.

§. 256. Igitur obiectum iustitiae distributivae est dare aliquid ortum non ex iure stricto, neque ex rebus ipsis, sed ex congruentia orta ex personarum dignitate in ordine ad bonum commune: commutativae verò est dare ex iure stricto nato ex rebus ipsis. ob quod S. Thom. rectè dixit à Deo seruari in iudicio modum iustitiae commutativae magis quam distributivae, quia in iudicio magis examinantur merita suae res ipsae, quam dignitas personarum: haec enim non venit in iudicium tam proprie quam illa: Igitur quia vita aeterna datur vt merces laboranti, & vt hereditas filio; ideo seruatur vtraque iustitia in conferenda gloria. commutativa quidem, quia vnicuique datur prout gessit: quod contingit solis adultis qui pro meritis accipiunt mercedem. distributiva verò, quia datur hereditas pro dignitate filiationis, tam adultis quam pueris. cum vltimis autem sola exerceatur distributiva: quia carent meritis proprijs, quae sunt materia commutationis.

SECTIO XVI.

Vtrum in Deo sit iustitia distributiva?

SVBSECTIO I.

Argumenta P. Vasquez.

§. 257. **P.** Vasquez acriter contendit in Deo non esse propriè iustitiam distributivam. l. p. disp. 86. cap. 2. adducit plures auctores: à quorum examine ablineo, quia vtraque pars est communis & probabilis. in quaestionibus autem similibus non est opus oleum absumere in auctorum examine: ex adductis autem à P. Vasquez nonnullos à nobis esse probarem si esset opus. Neque semel in eam quaestionem incurrit: recognosce l. 2. disp. 223. c. 4. 5. & 6. & 3. p. disp. 7. c. 2.

§. 258. Probat Primum auctoritate S. Anselmi in Prologo, cap. 10. *Iustus es* (inquit) *non quia reddis debitum, sed quia facis quod decet te summum bonum.* Respondeo, nihil probari de iustitia distributiva, cuius obiectum non est reddere debitum strictum, sed debitum latius & secundum quid, id est debitum congruentiae, vt dixi §. 248. Igitur Deus est iustus afficiens praemio & supplicio, quia dat vnicuique secundum dignitatem personae, & si vis meritorum. licet non debet illud absolute, idque significant ipsa Anselmi verba: *Iustus es* item, *quod decet te.* Decet autem Deum propter decentiam personarum, quas Deus afficit praemio aut supplicio. Itaque Anselmus à nobis est in iustitia distributiva:

butiva: nec est in nos in commutativa: quia Deus nihil debet absolute antedecenter ad pactum & promissionem: at verò consequenter ad promissionem debet, quia iam supposito pacto non posset honestè negare promissa: in soluendo autem facit semper ex suo beneplacito, vt dixi sect. 5. subsect. 2. & alibi. Ob quod rectè Sancti & Scholastici dicunt, Deum nihil nobis debere, sed sibi: quia debitum non potest à nobis oriri, sed à libera sponfione Dei. Alia ex Anselmo non vrgent, quia cap. 11. accipit iustum latè pro æquo, siue bono, non verò pro strictè iusto.

§. 259. Secundò, probat auctoritate Aristot. 5. Ethic. cap. 5. & S. Thomæ 2. 2. q. 61. art. 4. censent enim penam non infligi Dei iudicio per iustitiam distributivam. Respondeo, infligi per vindictivam, quæ in pœna sensus seruat modum iustitiæ commutatiuæ, quæ pœna respondet delicto personali: quemadmodum gloria datur pro operibus seruato modo iustitiæ commutatiuæ, vt dixi §. 256. In pœnis autem limbi infligitur pœna damni cum imitatione iustitiæ distributiuæ, quia non infertur propter delictum personale, sed propter indignitatem personæ in origine contractam: quemadmodum gloria datur sanctis paruulis per iustitiam distributivam, quia non propter merita personalia, sed propter personalem dignitatem, quæ consistit in gratia sanctificante. Hac de re aliqua dixi §. 236.

§. 260. Tertiò, probat ratione: æqualitas seruata à Deo non est distributiva: ergo voluntas de illa non est iustitia distributiva. Probat antedecens, quia æqualitas distributiva non est arithmetica: id est, non est absolute æquale meritum præmio, siue quod datur & quod accipitur: id est, non sunt tantum quantum. quæ æqualitas reperitur in commutativa: qua in contractu emptionis & venditionis tantum do quantum valet equus, & in restitutione tantum reddo quantum abstuli. seruatur autem in iustitia distributiva æqualitas geometrica, id est, proportionalis: id est, vt tantum excedat præmium vnus, quantum excedit meritum: Deus autem in retribuenda gloria non considerat quantum vnus excedat alios, sed quantum quisque mereatur: ergo seruat æqualitatem arithmeticam, & non geometricam. Minorem probat Primùm, exemplo rerum naturalium: quibus partitur sua bona prout illa capiunt sine comparatione vnus rei cum alia. Secundò, exemplo supernaturalium: in quibus vniciueque dat prout gessit. Confirmatur, quia iustitia distributiva non dat æquale simpliciter meritis, sed simpliciter inæquale, æquale verò geometricè & secundum quid: Deus autem dat æquale simpliciter: ergo non ex iustitia distributiva.

§. 261. Hoc argumentum ex dictis soluitur: quia obiectum iustitiæ distributiuæ est dare secundum dignitatem cuiusque, quod seruat Deus tam in naturalibus quam in supernaturalibus, vt ex S. Dionys. dixi §. 233. illa autem geometrica est ad considerandam dignitatem cuiusque, vt ex Aristot. dixi §. 238. Hinc nego antedecens in §. 260. Ad probationem respondeo, illam proportionem esse frequentem in rebus publicis, non verò necessariam: quia sola æqualitas præmij cum dignitate personæ satis est, vt dixi §. 239. & 240. Ad confirmationem responderetur, non esse de conceptu iustitiæ

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

distributiuæ vt sic, vt præmium sit simpliciter minus quam meritum, id enim est in creaturis egenis, non tamen in locupletibus. Distributiuæ enim iustitia per se vult dare præmium pro adæquata dignitate personæ vel meritorum, ex bonis non debitis strictè: quando autem bona non sunt satis, ad præmium arithmetice æquale, vtitur geometrica proportionem, vt de iustitia commutatiua dixi §. 239. quia verò res publ. non sunt soluendo arithmetica æqualitate, vtuntur geometrica, qua non vterentur si abundarent. Quibus responsum est à priori: in nullo enim euidentior est iustitia distributiva, quam in Deo dante vniciueque ex dignitate personæ.

§. 262. Vt autem in omni opinione constat esse argumentum imbelles, propositum §. 260. nego iterum antedecens. Ad probationem respondeo, Deum in distributione gloriæ seruare geometricam æqualitatem: quia tantum excedit præmium Petri, aut exceditur præmij aliorum, quantum merita excedunt aut excedunt. hanc autem inæqualitatem Deus voluit per se primò: voluit enim Christum maxima gratia donari; post quem Mariam matrè: nec enim absolute aut sub conditione voluit aliam creaturam esse Virgini parem. S. Thom. asserit gratiam datam angelis inæqualem secundum inæqualitatem naturalem. Igitur quia hæc discretio mansionum optima est, fuit amata à Deo, & bona opera inæqualiter distributa: vt idem geometricè seruaretur ordo inter visiones, qui seruatur inter gratiam sanctificantem singulorum. Quemadmodum si dux opem ferret inæqualem pugnantibus, vt præmia partiretur inæqualia. Neque obest vniciueque dari prout gessit cum æqualitate arithmetica præmiorum cum dignitate: vtumque enim per se voluit Deus, & vt det cuique prout gessit. in quo seruatur modus commutatiuus, & vt seruatur inter præmia, geometrica proportio, in quo seruatur modus distributiuus. Neque opus est vt præmium sit simpliciter minus merito. Id enim oritur ex inopia distributoris, non ex conceptu iustitiæ distributiuæ, cuius obiectum non variatur, quamuis præmia sint arithmetice æqualia meritis: quia eius obiectum formale est dare vniciueque secundum dignitatem personæ; melius autem dabit si possit dare tantum, quanto digna est persona. Ob quod S. Dionys. adductus §. 233. rectè dixit Deum in omnibus seruasse iustitiam distributiuam.

§. 263. Tandem hoc argumentum P. Vasquez propositum §. 260. probaret Deum de facto non fuisse vsum iustitiæ distributiuæ, eum autè illa non posse vti minimè probat. Potuit enim Deus bona temporalia per se ipsum partiri bene pugnantibus pro republ. fidei, & seruare geometricam proportionem: quia potuit velle partiri ea solum bona, quæ distributa per omnes non possent arithmetice æquari singulorum meritis: ob quod potuit velle seruari geometricam proportionem, eumque ordinem quem iustus princeps seruaret. in his nulla est imperfectio: quia Deus hæc faceret ex voluntate, non ex inopia. Hinc patet ad argumentum ex §. 260. & eius confirmationem.

SUBSECTIO II.

Argumentum de abdicatione dominij.

§. 264. **A**rgumentum de abdicatione dominij est præcipuum fundamentum ad negandam Deo iustitiam: latè probauit lect. 5. sub lect. 1. posse duas creaturas habere simul pro vno instanti dominium perfectum eiusdem rei: sub lect. autem 4. idem ostendi de Deo & creatura pro tota æternitate: quibus factum est satis huic difficultati, quando opus esset vt Deus communicaret dominium creaturis: §. autem 210. huc reieci facillimum eius conditionis explicatum. Sic arguunt aduersarij. Qui exercet iustitiam distributiuam, abdicat à se dominium præmij distributi: sed Deus non potest illud abdicare: ergo nõ exercet Deus distributiuam. Maior probatur, quia accipiens præmium fit eius dominus: sed non possunt duo habere simul dominium eiusdem rei: ergo distributor abdicat à se dominium rei distributæ. Maior probatur, quia præmium accipiens potest illo vti pro libito.

§. 265. Quando hoc argumentum vim haberet in iustitia commutatiua (quam non habere constat ex lect. 5. vbi ostendi posse simul dominium esse apud duos) euidentis est illud vicare in distributiua: in qua neque opus est distributorem se abdicare dominio præmij distributi, neque illud ius acquirere eum qui præmio donatur. Quod probò Primùm ab exemplo iustitiæ vindicatiuæ: quam Deus & homines exercent, quin se abdicent aliquo dominio in supplicium, nec illud transferant in reum. Quia Deus animaduertens in damnatos perseuerat dominus æternorũ cruciatuum, in quos damnati nullum dominium acquirunt: ergo sine his conditionibus possunt hæc exerceri in distributione præmiorum. Consequentiam probò à paritate rationis: quia vt vindicta consistit in infligendo malo quo reus sit infelix, ita retributio in conferendo bono quo accipiens sit felix. Felicitas ergo est obiectum iustitiæ distributiuæ data propter merita aut dignitatem personæ propter gratiam sanctificantem: vt miseria est obiectum vindicatiuæ data ob carentiam gratiæ in pueris, vel propter flagitia in adultis: si ergo Deus potest facere beatum sine translatione & abdicatione dominij, vt potest facere miserum; ita potest exercere iustitiam distributiuam vt potest vindicatiuam. Ratio à priori, quia hæc duæ virtutes sunt ad faciendum aliquem beatum aut miserum in toto aut in parte, propter bona aut mala opera, aut pro dignitate aut indignitate personæ. Quod si absque dominij translatione potest Deus consequi hæc, quid est opus translatione?

§. 266. Secundò probatur, argumentum propositum §. 264. carere vi in iustitia distributiua: quia in humanis multa præmia conferuntur ex iustitia distributiua absque translatione dominij, cum rex laudat militem illumque facit assidere, aut cum eo agens amicè ei ostendit hortos, spectacula, & alia quæ homines censent esse maxima præmia: cum Assuerus præcepit Mardocheum insidentem equo regio per totam urbem circumduci præeunte Aman & conclamante præcone: quæ præmia fuerunt Mardocho pro erepto rege;

rex nullum earum rerum dominium transulit in Mardocheum. cum item rex Hispania nobiles adscribit militiæ Iacobæ, Calatrauensi, aut Alcantarensi, illos donat præmio non leui, inque eos nullum transfert dominium. Censentur igitur præmia, quia spectant aliqua parte ad felicitatem ciuilem, tamen nullum dominium acquirant.

§. 267. Ad argumentum ex §. 264. nego Maiorem: non enim est opus, nisi vt donatus præmio illo sit aut in parte, aut in toto beatus: vt patiens pœnam sit miser. Ad probationem Maioris, nego Maiorem: quia non est opus vt affectus præmio aut supplicio constituatur illarum rerum dominus, sed vt sit in toto aut in parte beatus: nec enim damnatus potest pro suo libito vti suis cruciatibus: neque beati possunt visione Dei vti pro libito: quæ illis non est libera.

§. 268. Alia ratione non minùs facili respondetur argumento è §. 264. Dominium creatum est in creatura aduersus alias, non verò aduersus Deum. Si enim ego sum dominus equi, nulla creatura potest eo licitè vti me inuito: at Deus potest quantumcumque ego sim inuitus. Hoc dominium siue ius acquiritur, quando creatura aut per distributionem accipit præmia, aut per commutationem id ad quod habet ius strictum. Hoc ius potest Deus communicare creaturis sine vlla imperfectione: quia eo communicato Deus manet integrè dominus eius rei: neque creatura potest Deo inuito ea vti licitè, & peccaretur contra iustitiam si Deo inuitedecente eius vsum titulo dominij creatura aliquid faceret. Potest igitur Deus aut propter bona opera, aut propter dignitatem personalem donare præmia creaturis, quorum constituantur domini dominio creato contra ceteras creaturas, non verò contra Deum. Hinc non sequitur, duos simul habere dominium aduersus se ipsos in eadem rem: quia Deus manet cum dominio contra creaturam, cum quo non manet creatura contra Deum: quia solum manet cum dominio contra alias creaturas: aliunde verò creatura manet cum eodem dominio accepto à Deo, cum quo maneret si illud acciperet ab alijs creaturis.

§. 269. Dices, Deus nihil potest debere, sed iustus distributor debet: ergo Deus non potest esse iustus distributor. Respondeo Primùm, non esse opus etiam ad iustitiam commutatiuam vt soluens debeat, sed satis est vt debeatur indeterminatè à soluente, vel ab alio, vt dicam à §. 284. ad 291. Secundò respondeo, obiectum iustitiæ distributiuæ non deberi simpliciter, sed secundum quid, quia non innititur stricto iuri, sed dignitati personæ: Deum autem ita aliquid debere non est incommodum.

§. 270. Ad argumentum ex §. 264. distingo Maiorem. Distributor creatus abdicat se dominio præmij distributi. prætereat Maior, quæ negatur de creatore increato: quia dominium, quod transulit in affectum præmio, est aduersus omnes alias creaturas, non verò aduersus Deum: ob quod creatura se abdicat tali dominio, non verò Deus, vt dixi §. 268. Ad probationem Maioris, distingo Maiorem: accipiens præmium fit illius dominus contra ceteras creaturas, concedo Maiorem; nego verò contra Deum. Duæ probationes maioris propositionis sunt clare: quia præmio

præmio donatus potest uti suo præmio independentè à cæteris creaturis, non verò independentè à Deo.

SUBSECTIO III.

In Deo est iustitia distributiva.

§. 271. **E**st igitur in Deo iustitia distributiva propria & absque metaphora. Hanc multorum esse sententiam fatetur ipse P. Vasquez. Ab ea sunt Ricardus in 4. dist. 46. art. 1. Capreol. in 1. dist. 45. q. 1. art. 1. conclus. 14. & art. 3. ad argumèta contra eam: Caietan. 1. p. q. 21. art. 4. & 2. 2. q. 61. art. 4. paulò antè ad 1. Ferrara 1. contra Gent. cap. 93. Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 5. art. ult. ad 1. & 3. de Natura & grat. cap. 7. Hostius in Confessione Polonica cap. 73. ante medium: P. Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. puncto 5. ubi sine discrimine admittit Deum ex iustitia remisisse peccata propter merita Christi. Quam tamen clarissimè docuit to. 1. disp. 1. q. 21. puncto 1. vers. *Secundò asserimus.* P. Suarez disp. de Iustitia sect. 3. P. Rebellus 1. p. præludiorum lib. 1. q. 4. n. 15. & alij recentes. Quam planè docuit S. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. distinguens enim duas species iustitiæ, commutativam negat Deo, asserit distributivam. P. Vasquez conatur à S. Thoma vtramque negari: quia asserit non esse iustitiam simpliciter Dei ad nos, quia non est meritum simpliciter nostri ad Deum. Verùm absurdissima esset sententia S. Thom. si ita absolutè intelligeretur: quia post promissionem gratiamque collatam S. Thom. & omnes Catholici admittunt meritum simpliciter nostri ad Deum: ergo & iustitia sic est admittenda post eandem promissionem & collationem gratiæ. Eandem perspicuè docuit Dionys. adductus §. 233. Explicans enim iustitiæ distributivæ munus, eam adscribit Deo singulis danti beneficia pro dignitate.

§. 272. Ratio est manifesta ex parte obiecti huius virtutis, nempe vnicuique conferre bona secundùm dignitatem: sicut enim cum multis constitui huius virtutis obiectum §. 228. vel est conferre præmium de bonis communibus secundùm merita considerata in se, & cum proportionem geometricam: potuit autem Deus velle præmia communia ita partiiri servando æqualitatem geometricam absque arithmetica, vel arithmeticam absque geometrica: id enim pender ex sola Dei voluntate. Ex parte modi nulla est imperfectio: quia nec fundatur in debito stricto, sed tantùm in congruentia: neque distributor abdicat dominium. est igitur in Deo iustitia distributiva, sicut & vindicativa. Multi æstimo auctores oppositæ sententiæ, rationem autem pro illa nullam video efficacem. fateor illos acrius impugnare iustitiam commutativam Dei, distributivam autem minimè gentium.

SECTIO XVII.

Vtrum in Deo sit iustitia commutativa?

§. 273. **S.** Thom. videtur fuisse non idem hac in parte, quia 1. p. eam negavit expressè, eam autem asseruit 2. 2. q. 61. art. 4. ad 1. opinatus à Deo servari in iudicio rationem iustitiæ commutativæ, & non distributivæ. Aliqui censuerunt à S. Thoma Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

retractatam esse sententiam: quod adscribunt Capreol. S. Thom. non fuisse semper eadem ratione locutum, est clarum. Accipit enim interdum commutativam pro sola commerciali, securus Aristot. interdum verò pro quacumque solvente ad æqualitatem arithmeticam. In primo sensu eam ablegat à Deo, in secundo adlegat: est igitur S. Thomas expressè ab opinione nostra: & 3. p. q. 85. art. 3. ait esse inter Deum & hominem quamdam commutativam, id est quamdam speciem commutationis, seu speciem vnam: iam enim in philosophia ostendi ex Aristot. esse idem vnum hominem, & quemdam hominem: Capreol. in 2. dist. 27. art. 3. ad 1. admittit in Deo iustitiam commutativam simpliciter, quam admitti affirmat à S. Thom. Medina 3. p. q. 1. art. 2. P. Ragusa 3. p. disp. 20. §. 2. quamvis agit de Christo. Alvarez disp. 4. n. 33. & alij quos refert & sequitur P. Suarez disp. de Iustitia sect. 3. n. 35.

SUBSECTIO I.

Prima probatio iustitiæ commutativæ Dei.

§. 274. **D**ico igitur in Deo esse iustitiam commutativam propriè & absque metaphora. Hæc autem iustitia non est commercialis, quam solam negaverunt antiqui. Hæc conclusio potest duplici ratione probari. Primum, si Deus servet actionibus proprijs ius vnius creaturæ aduersus aliam, quod ius non sit aduersus Deum: ut de distributiva dixi §. 268. 269. & 270. Secundò, possumus considerare Deum servantem ius creaturæ aduersus ipsum Deum (ut ita dicam.) Considera Petro deberi ab Antonio centum aureos: & Deum totidem dare Petro pro Antonio, eumque constituere dominum aureorum, eadem ratione qua ab Antonio constitueretur si restitueret: ita ut Petrus possit sine peccato uti pro suo libito centum aureis, & nulla creatura possit licitè ipsi uti invito Petro: at verò Petrus non potest licitè illis uti invito Deo: Petro autem invito Deus potest. Hoc enim genus dominij, & non aliud potuit Antonius communicare Petro: idem pro Antonio potuit Deus dare Petro. Sic argumentor: Deus in conferendis aureis potest exercere iustitiam commutativam in Petro: ergo hæc inest Deo. Probo antecedens: quia quamvis Deus non potest commerciarì, quia commercium illi est inutile; potest tamen velle dare aureos ad tollendam inæqualitatem inter Petrum & Antonium, & ut Petrus fruere iure suo, item & Antonius esset liber à debito, quæ potuit velle propter ipsa, ut potest velle obiectum misericordiæ propter ipsum: sed hic actus in Deo esset iustitia commutativa: ergo Deus est capax huius iustitiæ. Maior est per se nota: tollere enim eam inæqualitatem, constituere Petrum dominum aureorum, quia debebantur ab Antonio, & hunc liberare à debito, sunt obiecta amabilia, & passim amantur à Deo, ut alia obiecta virtutum moralium: de quibus, qua ratione in Deo sint, latè disserui vol. 2. disp. 121. Iustitia igitur commutativa est in Deo sine metaphora, ut est iustitia vindicativa, & virtus remunerativa, similesque virtutes, in quarum conceptu ut sic nulla clauditur imperfectio. Minor probatur, quia iustitia commutativa est voluntas ius suum vnicuique tribuens propter honestatem ibi repertam, & per proprias actiones

S. Thom.
q. 1. a. 2.

volentis, vt constat ex communi diffinitione iustitiae: sed ille actus Dei est voluntas tribuens Petro ius suum, propter honestatem ibi repertam, per proprias actiones Dei: item ex bonis ipsius Deigitur actus ille Dei est iustitia commutatiua.

§. 275. Dices Primò, Petrus non habet ius aduersus Deum: ergo non potest Deus ex iustitia soluere. Probo consequentiam, quia ius tributum per iustitiam commutatiuam est in creditore aduersus tribuentem & soluentem: quemadmodum qui soluit debet soluere ex bonis proprijs. Confirmatur Primùm. Qui exercet iustitiam, soluit quod debet: sed Deus nihil debet: ergo nõ soluit ex iustitia. Confirmatur Secundò. Iustitia est ad propria debita, non verò ad aliena: vt castitas est ad proprios actus, non ad alienos.

§. 276. P. Vasqu. 1. p. disp. 85. n. 40. & 41. censet non seruari iustitiam nisi inter creditorem & debitorem: exigitur ergo vt is cui fit solutio, sit creditor cui res debeatur: ex parte verò soluentis exigitur vt ipse sit debitor. Probat Primùm, ex S. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1. docente iustitiam deficere, vel quia deficit debitum, vel æqualitas: ergo sicut vbi non est æqualitas, non est iustitia, ita nec vbi debitum deest. Secundò ratione, quia iustitia in satisfactione seruata, est ex parte retribuētis pro ijs quæ ipse accepit, aut abstulit: qui verò nihil accepit, neque abstulit, quid habet cum restituente? non enim seruat iustum, neque reducit inæqualitatem ad æqualitatem, quia inter ipsum & creditorem nulla intercessit inæqualitas, neque est contrapassum.

§. 277. Respondeo, requiri quidem debitum, & inæqualitatem: at non requiritur inter creditorem & soluentem determinatè, sed indeterminatè, quia opus est vt cum aliquo sit inæqualitas & contrapassum: quia definitio non exigit vt seruetur ius violatum à soluente, sed vt vnicuique seruetur ius suum. neque oppositum ipsi probant. Quod patet in Petro de suis pecunijs soluente pro Antonio: Petrus enim non violauit ius creditoris, neque constituit inæqualitatem, neque contrapassi fuit causa; & tamen soluens pro Antonio exercet iustitiam commutatiuam: creditor autem iam non habet ius aduersus Antonium, quia Petrus pro illo soluit, neque opus est vt Petrus prius suscepit vadium, aut fideiussionem: satis enim est si soluat pro Antonio, etsi nulla præuērit obligatio. Idem potest facere Deus quasi suscipiens fideiussionem. Hinc nego consequentiam, è §. 275. & eius probationem. Solutio est ex bonis proprijs, quia de alienis nullus soluit: debitum autem potest esse alienum, quia creditor habet ius ad totidem bona: quod ius volo ego seruare de meis bonis, quod patet apertè in fideiussore soluente de bonis proprijs debitum alienum. quod creditori perinde est ac si soluerentur ab eodem debitore, quia suo iuri per accidens est, ab hoc aut ab alio deberi: Deus autem in eo euentu esset quasi quidam fideiussor. Ad primam confirmationem, nego Maiorem: qui enim soluit, soluit quidem quod debetur, non determinatè ab ipso, sed ab aliquo: quod satis est ad constituendum ius in creditore. Ad secundam confirmationem respondeo, iustitiam esse ad actiones proprias tamquam à causa particulari, non verò ad alienas, vt castitas, spes & fortitudo: velle enim vt alij seruent mutua iura, non est actus iustitiæ; sicut nec castitatis velle vt alij sint tempe-

rati; at iustitia potest esse ad proprias actiones, vt à causa particulari soluentes aliena debita de bonis proprijs. Contrapassum autem reperitur ibi materialiter, id est, reperitur materia contrapassi. Deus autem non potest pati: neque contrapassum formale requiritur nisi inter creaturas, quæ patiuntur abdicationem dominij.

§. 278. Ad argumenta P. Vasquez è §. 276. S. Thomas exigit debitum, sed non determinatè à soluente, vt patet in alio soluente sine præeunte fideiussione aut pacto, vt dixi §. 277. Ad Secundum respondeo, ex parte soluentis esse aliquid acceptum, aut ablatum non determinatè ab ipso, vt patet in soluente pro alio, sed indeterminatè ab aliquo: habet cum restituente reddere creditori quod suum est: tunc autem ius seruat alienum, quia dat creditori rem ipsius. posse autem auferri inæqualitatem à non debente, est per se notum: quia æqualitas est inter ipsas res, inter personas autem ratione rerum. Si Antonius abstulit equum, & ego illum domino reddo, abstuli inæqualitatem quæ erat carentia equi, & potui exercere iustitiam commutatiuam: quia ad restitutionem iustam rerum in indiuiduo non est opus restituere de bonis proprijs, sed restituere bona aliena: quod ego tunc feci vt causa particularis per proprias actiones. Item, si alius tibi detrahit honorem, & ego illum reddidi, iam non est inæqualitas inter te & illum ratione honoris: quia habes quod tuum est. Quæ satisfactio potuit etiã esse per actum iustitiæ commutatiuam, more fideiussionis. potest igitur inæqualitas tolli à non debente. Confirmatur, quia in his casibus cessat actio, nec creditor potest se compensare de bonis prioris debitoris; & tamen non sunt reddita ab ipso debitore: ergo ad tollendam inæqualitatem non est opus debitore determinatè, sed satis est si quod debetur ab aliquo, soluat ab alio.

§. 279. Dices Secundò: Deus non abdicat dominium aureorum quos reddidit Petro: ergo non soluit ex iustitia commutatiua: quia hæc abdicat dominium à soluente. Nego consequentiam. Ad probationem. Creatura abdicat dominium: quia dominium creatum est in vna creatura aduersus omnes alias, non verò aduersus Deum: Deus igitur dat in eo euentu ius creatum, quale daretur vni creaturæ ab alia: & constituit creditorem dominum aureorum. eadem ratione, qua illum constitueret alia creatura: in quo Deus dat creditori ius suum, id est, ipsius creditoris: quod est aduersus alias creaturas, non aduersus Deum. Recognosce §. 268. & 274.

§. 280. Dices Tertio: Deus donat Petro illos aureos, ergo non dat ex iustitia. Distinguo antecedens: donat consideratus vt causa vniuersalis, concedo antecedens: item vt causa particularis illos donat, quia non vult extinguere dominium creaturæ siue ius ad illos, quod poterat extinguere nihil reddendo. At non donat comparatione alius creaturæ: quia donatio est sine extinctione debiti aduersus alias creaturas: hinc autem extinguitur debitum quo soluitur Antonius, aduersus quem iam Petro non competit actio. itaque illa restitutio sub hac consideratione non est donatio, est autem sub alijs. Ego existimo hanc sententiam euidenter probari: item in emendandis aliorum commercijs eam posse Deum exercere.

SUBSECTIO II.

Probatio secunda iustitiae commutativae Dei.

§. 281. **P**ROBAVI, iustitiam commutativam Dei independentem à debito; nunc eam probo, admisso debito in solvente. Sic argumentor: Voluntas reddens unicuique ius suum debitum à solvente, & propter ipsum, est iustitia commutativa: sed Deus potest habere voluntatem dandi Petro ius suum propter ipsum & debitum ab ipso Deo: potest ergo Deus habere iustitiam commutativam. Minor probatur: quia obiectum huius actus non dicit imperfectionem respectu Dei, neque ratione debiti, neque modi amandi obiectum illud. Quae probo singillatim.

§. 282. Ex parte obiecti non est imperfectio: quia Deus potest facere Petrum dominum alicuius rei, quin ipse Deus se abdicet dominio ipsius rei: (haec enim imperfectio solet nobis obijci) etenim Deus tam longè abest ab abdicatione dominij, ut potius per illam voluntatem sit in actuali exercitio & actu secundo ipsius dominij: ita ut nihil possit fieri de re quam ipse donat, nisi per exercitium actumque secundum dominij Dei: de quo egi sect. 5. cuius subsect. 4. id probavi de Deo. Cum igitur Deus dâns dominium Petro nihil de suo dominio amittat, sed potius illud exerceat semper, nō potest argui imperfectio in Deo. Confirmatur, quia potest Deus dare dominium Petro, quale datur ab alia creatura, quin illud sit contra ipsam Deum, ut dixi §. 268. & 274. latius dicturus à §. 284.

§. 283: De ratione debiti multi dubitauerunt: multi Theologi recusarunt illud in Deo admittere propter Anselmum asserentem à Deo nihil deberi: ob quod dixerunt Deum nihil nobis, sed sibi debere. P. Suarez, P. Vasquez & alij multi censuerunt, Deum nobis posse aliquid debere: quod ipsi merito accipiunt non de debito orto ex nobis, & obligante Deum independentem à sua voluntate, sed orto ex Dei promissione & pacto. Debitum enim est quod aliquis negare non potest absque peccato, siue quod tenetur dare: sed Deus non posset absque peccato negare promissa, & tenetur ea dare, & constituere Petrum dominum rei promissa, in sensu explicato §. 282. ergo Deus potest debere. Minor est certa, quia esset infidelis: dixit enim Apostolus: *Non est iniustus Deus ut obliuiscatur operi ac labori vestri*; ac si diceret, *Esset iniustus si obliuisceretur*: ergo lege illius iustitiae tenetur non obliuisci, & contra illam ageret, si per impossibile obliuisceretur. Iam dixi §. 48. 53. & 64. esse ridiculam suppositionem in actibus Dei efficacibus de se: quia est componere duos actus oppositos. illa suppositio non videtur tam ridicula in promissione, cuius effectus pendet à nostra libera conditione: quia illa promissio non est absoluta, sed conditionata. quod si posita à nobis conditione, Deus non staret promissis, esset infidelis. in quo argumento non fit suppositio duorum actuum absolutorum: propterea sic explicui testimonium Pauli. Ne autè arguamus solum ab hypothese impossibili, sic arguo: Deus debet facere aliquid in eo sensu in quo non potest aliud agere: sed in sensu promissionis Deus non potest aliud agere: ergo in eo sensu debet agere. De-

bitum autem illud non est ad Deum; sed ad nos: fidelitas enim est virtus ad alium, constantia verò ad se. Haec autem obligatio est ad servandum iustitiam, quia est ad conferendum creaturae dominium. Quae autem possunt obijci de suppositione quod Deus vellet uti creaturis contra voluntatem eius cui eas dedisset, diluta sunt §. 48. 53. & 64. Quod si admittas utcumque Deum per impossibile nolle sinere creaturas uti rebus ab ipso donatis, ageret contra fidelitatem & iustitiam, in sensu explicato §. 67. Cur autem in alio casu non peccaret contra iustitiam, ostendam §. 290.

SUBSECTIO III.

De abdicatione dominij.

§. 284. **Q**UAE dixi subsect. 2. sunt accipiendae admissio dominio Dei simul & creaturae in eandem rem: de quo dixi sect. 5. subsect. 4. nunc libet ostendere auctores oppositos non adhibuisse omnem diligentiam in examinanda hac conditione abdicationis dominij. Neque me pudeat haec repetere, quia sunt fundamentum oppositae sententiae. Iam ostendi à §. 265. posse servari à Deo iustitiam distributivam, quin se abdicet dominio praemij distributi. Nunc idem probandum in commutativa, quia aduersarij utuntur argumento proposito à me §. 264.

§. 285. Praemitto quae dixi §. 268. & 274. creaturam habere verum & absolutum dominium multarum rerum: ego enim cum dono mea bona Francisco, illum constituo verè & absolutè illorum dominum; non tamen dominio omnium perfectissimo, sed imperfecto: quia est dominium creatum subiectum dominio Dei: siue, ut melius dicam, est dominium creaturae, quae semper est subiecta dominio Dei: est tamen dominium absolutè, quia potest uti pro libito suis rebus citra iniuriam omnium creaturarum; non est tamen dominium absolutum, nisi comparatione illarum, quia non est absolutum à dominio Dei: quamvis potest etiam dici dominium absolutum, ut dicuntur principes absoluti qui in principatu non subijciuntur alijs creaturis, quamvis Deo subiecti sunt omnes. hoc autem dominium obligat omnes creaturas, ne utantur rebus invito domino: at non obligat Deum. Hoc pono disputandi gratia: quamvis enim repugnaret dominium Dei & creaturae simul in eandem rem, (quod non repugnare ostendi sect. 5. subsect. 4.) adhuc non obesset iustitiae commutativae Dei.

§. 286. Sic argumentor. Voluntas creata de constituendo Petrum dominum rei cum obligatione id volendi, est iustitia commutativa, ut patet ex §. 281. quia habet pro obiecto ius: imò licet non esset obligatio, ut dixi à §. 274. sed Deus potest velle Petrum constituere dominum alicuius rei illi debitae ab alia creatura, vel promissa, & potest velle id debere: ergo potest Deus exercere iustitiam commutativam. Probo Minorem: quia in dominio Petri non est imperfectio Dei, si detur à Deo ipso, sicut non est si detur à creatura: quia Deus utroque casu manet aequè dominus illius rei. Nec item est imperfectio Deum id debere: quia quando obiectum potest amari à Deo sine imperfe-

S. Thom.
q. 1. a. 2.

ctione, potest Deus sine eadem velle id debere debito orto ex promissione aut pacto.

§. 287. Dices Primò: Deus deberet rem illam Petro vtendam ab ipso pro libito: ergo abdicaret à se dominium talis rei. Distinguo antecedens: vtendam pro libito aduersus omnes alias creaturas, concedo antecedens: vtendam pro libito aduersus voluntatem Dei, nego antecedens: itaque Deus deberet me facere dominum rei eodem genere dominij, quod ego acciperem ab alia creatura, nempe vt nulla alia me inuito possit licitè vti ea re, & ego possim inuitis alijs: at non teneretur Deus facere vt ipse non possit licitè vti eadem re me inuito: hæc petit dominium creatum, vt indicaui §. 268. & 274.

§. 288. Dices Secundò: Creatura abdicat à se dominium: ergo & Deus. Probo consequentiam, quia obiectum iustitiæ est abdicatio dominij. Nego consequentiam. Ad probationem: obiectum iustitiæ, est dare dominium ei in quo seruatur: quia verò illud est impossibile cum dominio creaturæ seruantis iustitiam, ideo consequenter pertinet ad iustitiam abdicatio dominij. eadem ratione Deus seruans iustitiam cum Petro abdicat cæteras creaturas dominio rei, quam Petro donat, illudque constituit in solo Petro: in quo pugnat cum dominio aliarum creaturarum in eandem rem. at non abdicat se dominio: quia dominium creaturæ non est contra Deum. Itaque iustitia Dei & creata habent circa creaturas idem omnino obiectum formale, nempe vt inter creaturas solus Petrus sit dominus rei, circa quam est iustitia: at verò non est contra Deum.

§. 289. Dices Tertio: Ergo Deus non est dominus eius dominij, quia non potest illud non dare, quia illud debet. Nego consequentiam: constat ex §. 73. 74. & 75. nihil esse in eo dominio quod non sit Dei: quia illud est denominatio extrinseca ab actu libero Dei: qui actus & dominium est absolute in potestate Dei, cui est necessarium solum consequenter. quæ suppositio neque dominium facit absolute necessarium, neque Deum adstringit absolute ad illud, sed secundum quid, vt dixi §. 50. Potest item Deus cogere Petrum, vt cedat illo iure: reperitur ergo debitum constituendi Petrum dominum rei aduersus cæteras creaturas; Deus tamen manet ita dominus illius, vt illo possit pro arbitratu vti inuito Petro.

§. 290. Finge Deum negare Petro dominium aduersus alias creaturas, postquam spondit illud dare: (hac enim ratione me etiam inuito argumentantur sæpè aduersarij). Cõsidera item Deum

dare Petro dominium illud, & postquam illud dedit, Deum ipsum inuito Petro vti pro suo arbitratu reiam donata. In primo euentu per locum intrinsecum Deus ageret contra iustitiam commutatiuam: quia negaret quod ex pacto deberet, & esset æquiualens acceptis à creatura, & læderet ius Petri contra rectam rationem: vide quæ dixi §. 283. ante finem. In secundo euentu non peccaret contra virtutem vllam: quia non sponderat nisi facere Petrum dominum rei: quo non impediretur quin Deus possit licitè vti eadem re. Quòd si Deus promississet se ea numquam vsurum inuito Petro, ageret contra fidelitatem, non verò contra iustitiã. Discrimen in vtroque euentu est, quòd in primo negaret Petro dominium debitum: peccatum autem contra dominium alicuius est iniustitia. in secundo verò non peccaret contra dominium Petri, quod numquam fuit aduersus Deum: ob quod vsus Dei inuito Petro, non est contra dominium ipsius Petri: ob quod nec iniustitia.

§. 291. Ad formam argumenti ex §. 264. respondeo ex §. 270. Creatura exercens iustitiam commutatiuam, se abdicat dominio rei quam soluit: quia creditor accipit illius dominium aduersus omnes creaturas: secus est in Deo. Dominium potest esse apud duos, alterum creatum, & alterum increatum: hoc est contra omnes creaturas, illud verò non potest esse contra Deum.

SECTIO XVIII.

Quam iustitiam Deus seruauerit cum Filio?

§. 292. **D**ico Primò. In conferenda visione beata seruauit iustitiã distributiua: quia illam contulit pro sola dignitate personali. at in conferenda gloria corporis seruauit commutatiuam: quia illam contulit pro operibus.

§. 293. Dico Secundò. Deus in remissione nostrorum peccatorum potuit seruare iustitiam distributiua cum Christo, quia ad illum constituendum caput generis humani potuit moueri sola dignitate personali Dei hominis. Hanc iustitiam seruauit cum Sanctis innocentibus in conferenda gloria.

§. 294. Dico Tertio. Seruauit Deus cum Christo iustitiam commutatiuam in remittendis nostris peccatis tam originali, quàm actualibus: quia propter opera Christi ea nobis remisit. Alia de iustitia Dei disseram volum. 4.